

**Disputatio medica inauguralis, de pleuritide, / quam ... ex auctoritate ...
Joh. Jacobi Vitriarii, ... facultatis medicae decreto, pro gradu doctoratus ...
publico examini submittit Franciscus Le Bachellé, ... ad diem 12 Aprilis.**

Contributors

Vitriarius, Johann Jakob, 1679-1745.
Le Bachellé, Franciscus.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Guilielmi vande Water, M D CCXIV. [1714]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zyx48hfu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PLEURITIDE,

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOH. JACOBI VITRIARII,

J. C. & Juris Civilis ac Publici Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima

Facultatis MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis

rite ac legitime consequendis,

Publico Examini Submittit

FRANCISCUS LE BACHELLE, Ultrajectino-Metens.

Ad diem 12 APRILIS, loco horisque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex officina GUILLIELMI vande WATER, Aca-
demix Typographi, clō 1ō CCXIV.

DISTRICT OF COLUMBIA

IN SENATE

REPORT

OF THE

COMMISSIONERS OF THE DISTRICT OF COLUMBIA

FOR THE YEAR 1854

AS PASSED BY THE BOARD OF PUBLIC WORKS

AND APPROVED BY THE DISTRICT COUNCIL

AND BY THE DISTRICT COURT

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA


AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA



AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND BY THE DISTRICT OF COLUMBIA

ILLUSTRISSIMO,
EXCELLENTISSIMO

A C

GENEROSISSIMO COMITI;

E T

DOMINO, DOMINO

ANTHONIO,

SACRI ROMANI

IMPERII COMITI,

LIBERO BARONI

D E

A L D E N B U R G,

DYNASTÆ IN VAREL,
KNIEPHAUSEN

E T

DOORWERTH,
ORDINIS ELEPHANTINI
E Q U I T I,

&c. &c. &c.

Mæcenati suo summe colendo,

Hanc Disputationem Inauguralem,

In publicum grati devotique animi
monumentum,

Demississime

D. D. D.

FRANCISCUS LE BACHELLÉ.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PLEURITIDE.

CAPUT I.

In quo traditur Historia Pleuritidis exquisita.

§. I.



leuritis dividitur in *exquisitam* & *notham*. Utraque rursus est vel *idiopathica*, vel *symptomatica*.

§. II. De omnibus hujusce morbi speciebus acturus, ordior a *pleuritide exquisita idiopathica*.

Definitur vulgo quod sit inflammatio membranæ Pleuræ, cum febre continua, acuta; dolore thoracis punctorio; respiratione difficili; pulsu duro, & plerumque cum tussi.

Præmissa hac definitione ut mori solito satisfaciam, historiam morbi quantum potero accuratam, tradere necessarium duxi, ex qua evidenter pateat morbi genius, ejusque symptomatum diversitas, varii eorum gradus, & ordo quo sese mutuo excipere solent.

§. III. Pleuritis aggreditur ordinario adultos, sanguineos, viros præ mulieribus, largo cibo vel potu repletos, valido exercitio defatigatos, post intensum æstum subito refrigeratos quacunque de causa.

Sævit maxime ubi subitæ fiunt aeris mutationes ex calido in frigidum, vel ex frigido in calidum, & quidem præsertim verno tempore ubi ingens cœli æstus subito intensum frigus excipit.

§. IV. Quandoque eodem tempore cum febre concurrit dolor thoracis punctorius, quandoque febrem antecedit, quandoque febre supervenit; ordinario tamen præcedit febris. Incipit itaque *Febris* cum horrore, rigore, urina tenui, debilitate, lassitudine, quandoque cum nausea & vomitu: Succedunt calor ingens, sitis, inquietudo, anxietas, faciei rubor, capitis dolor, vigiliæ, cæteraque febrium acutarum symptomata. Febris hæc quandoque est continua, plerumque tamen emicat reduplicationibus circa vesperam vel noctem plus minus manifestis: Et simul cum unaquaque reduplicatione videntur exacerbari omnia symptomata tum febre communia, nempe calor, sitis, capitis dolor &c, tum morbo peculiaris scilicet dolor punctorius, dyspnœa, tussis: Urina autem, quæ in vigore exacerbationis erat flammea & pauca, postea fluit copiosior, & quandoque crassa, hypostatica, stranguriosa, subrubra cum albo sedimento, vel subalba cum sedimento rubro, vel quandoque cum varia hypostasi. Quo magis morbus procedit ad statum, eo magis febris intenditur; reduplicationes fiunt majores licet minus quandoque manifestæ; simulque omnia symptomata, comparatione habita cum die præcedenti, sunt graviora. Morbo denique in statu existente, *febris est violentissima, sed minus manifesta ob respirationem coactam & præsensu doloris summi suffocatam, unde sæpe turpiter fallitur Medicus*, observante Celeb. & Experient. Viro D. Boerhaave (a): Acceditque tum sæpe delirium.

§. V. Elapsis post primos febris insultus pauculis horis (quandoque citius, quandoque tardius) adest in aliqua thoracis parte *Dolor* vehemens, acutus, punctorius, distendens, qui vel anteriores, vel posteriores, sæpius vero laterales thoracis partes occupat: Ubi tamen mediastinum afficitur, quod rarius occurrit, dolor in media pectoris cavitate percipitur; & quidem secundum longitudinem pectoris interne excurrens, versus sternum vel versus spinam sese extendit, prout anterior vel posterior mediastini pars afficitur. Dolor quandoque, sed rarissime, in initio morbi est mobilis, recurrens, atque mutabilis; ordinario tamen ab initio morbi ad finem usque fixus est, & in eodem loco perseverat. Lenior est dolor in animæ retentione, in expiratione, & ubi respi-

(a) Boerhaave *Aphorif. Cap. de Pleuritide* §. 883.

respiratio, immoto quasi thorace, peragitur motu abdominis; augetur autem in inspiratione, & eo magis cruciat, quo major aeris quantitas unica vice inspiratur, ut in tussi, sternutatione, loquela, compressione abdominis ad urinam expellendam vel alvum deponendam. Non exacerbatur dolor a pressione in partem affectam; sed ita augetur a decubitu in partem oppositam, ut cogantur ægri toto morbi decursu in partem affectam jacere.

§. VI. Simul cum dolore adest, & quandoque antecedit dolorem *Respiratio difficilis*, parva, frequens, celer, ob dolorem ab inspiratione exacerbatum suspensa; imo quandoque tanta dyspnœa adest, ut ne tussire quidem valeat æger & suffocari videatur, hocque præsertim circa morbi statum accidit, & quidem maxime ubi venæsectio non instituta fuit.

§. VII. *Pulsus* est celer, fortis, durus: In initio reduplicationum tamen quandoque, ut & circa statum morbi, pulsus plus minus ab hac norma recedit: Observavitque Baglivius (a) *sæpissime pulsum intermittentem in pleuritide, sed sine periculo; imo bis, terque, non obstante hoc pulsu, imperavit phlebotomiam, quia nimis urgebat indicatio sanguinem mittendi*: Idemque Auctor (b) asserit se in pluribus agris pleuritide laborantibus observasse sæpe pulsum manus positæ a latere partis affectæ, semper fere esse parvum & exiguum; quod non modo in pleuritide, sed in omnibus doloribus exquisitis, ut in nephritide &c, sæpissime contingit. Ubi autem morbus ad mortem tendit, pulsus deprehenditur celer, parvus, & nihilominus durus; vel quandoque intermittens & languidus, cum subultibus tendinum.

§. VIII. *Tussis* denique plerumque & fere semper accedit: Dico *plerumque* supervenire tussim, quia non semper tussis pleuritidem comitatur; nam in levi pleuritidis gradu, vel ope naturæ vel artis, morbus quandoque expellitur antequam tussis adveniat. Tussis hæc in initio ægrum crebro affligit & cruciat; procedente autem morbo quodammodo remittit, sive id eveniat a remissione ipsius morbi, sive a nimia crassitie sputi vias angustante & suffocationem inferente: Æger autem ob exacerbationem doloris a tussi ortam, conatur subinde spiritum reprimere, ut quodammodo tussim coercere possit. In initio tussis est sicca, postea fit humida, sputaque citius vel tardius apparent, quandoque

A 2

(a) Baglivius *Prax. med. Lib. I. Cap. de Pleurit. p. 51.* (b) *Idem de fibræ motrice Lib. I. p. 25.*

doque primo, secundo, vel tertio die, quandoque tantum post quartum. Quod in initio ejicitur, est paucum, tenue, subsalsum, sæpe sanguineis striis intermixtum; postea crassescit sputum, & procedente morbo copiosius ejicitur, fitque album, leve, æquale, sine vel cum sanguineis striis, a cujus liberaliori & constanti rejectione sensim immittitur febris, remittuntque dolor, dyspnœa & tussis: Quandoque vero sputum est varii coloris & consistentiæ; interdum omnino flavum, nulli pituitæ permixtum, omnino sanguineum; vel etsi album sit, aliquando supprimitur nullo modo revocandum, vel quandoque simul est crassissimum, glutinosum & tenax; vel fit spumosum, vel livescens, vel æruginosum, vel mere nigrum; interdum etiam, licet copiose ejiciatur sputum boni coloris & consistentiæ, tussis augetur; quæ omnia malum portendunt omen, præsertim si non remittente febre concurrat suffocativa respiratio & dolor exacerbetur, vel si dolor sine ulla causa subito evanescat: Per totum morbi decursum aliquando materia tantum pauca & tenuis, sicut in initio morbi, ejicitur, febre cæterisque symptomatibus non remittentibus, unde æger tandem jugulatur.

§. IX. Cruor venæsectione emissus & refrigeratus, est crassus, concreescens, subniger, paucoque sero, eoque sæpius flavo, innatans: Apparetque in ejus superficie crusta alba, crassa, dura, formam gelatinæ tenacis & fibrosæ referens. Notandum tamen quod si sanguis ex lato & amplo vulnere, & pleno saltu non fluat, sed per cutim repat, vel si digito immisso agitur donec refrixerit, crustam hanc albam in superficie cruoris non formari: Præterea si sanguis pluribus pelvibus excipiat, ut plurimum hujus crustæ nullum datur in prima pelvi vestigium, in secunda apparet plus minus, in tertia denique crassa percipitur crusta; imo quandoque in toto sanguine primæ venæsectionis nulla apparet crusta, quæ in sanguine secundæ venæsectionis aderit.

§. X. Perducta hæc morbi historia ad statum usque, antequam de ejus eventu disseram, methodum distinguendi pleuritidem exquisitam ab aliis morbis, cum quibus aliquam habet similitudinem, tradendam hic censeo. Distinguitur Pleuritis a Peripneumonia, quod in hac nullus adsit dolor punctorius; sed dolor gravativus & profundus, in media & interna cavitate pectoris defixus percipitur: In pleuritide respiratio est parva, crebra & velox, ob exacerbationem doloris in dilatione thoracis; in peripneumonia vero cum nullus dolor obstat quominus in omnem dimensionem pro lubitu ampliatur thorax, respiratio est

est magna & elata: Præterea in peripneumonia respiratio est difficilior, magis anhelosa & suspiriosa, majorique anxietatis & suffocationis sensu stipata, quam in pleuritide. Sputa in peripneumonia citius apparent, suntque copiosiora, & magis sanguinolenta. Tandem licet in peripneumonia febris adsit continua, acuta, nihilominus pulsus est mollis; in pleuritide vero durus.

§. XI. Differt Pleuritis a Paraphrenitide, quod in hac percipiatur circa diaphragma dolor ingens, qui instar cinguli supra lumbos ambit ventrem, & hypochondria tendi & constringi videantur. In paraphrenitide præterea respiratio est magis sublimis, celer, parva & suffocativa quam in pleuritide; notandumque quod in pleuritide respiratio, immoto fere thorace, fiat ope abdominis, cum e contra in paraphrenitide, quiescente abdomine, peragatur ope thoracis. In paraphrenitide denique post primos morbi insultus adest delirium perpetuum.

§. XII. Dignoscitur Pleuritis ab Hepatitide, quod in hac dolor non sit punctorius sed gravativus & tensivus, isque circa regionem hepatis in dextro hypochondrio, & quidem in profundo sub costis spuriis percipiatur: Ubi tussis & dyspnœa adsunt cum hepatitide, multo sunt remissiores quam in pleuritide: Tandem hepatitidem brevi sequitur icterus.

§. XIII. Notatione dignum est quod observavit Barbette (a), nempe, *pleuram interdum inflammari in dorso circa diaphragma, & ab incautis summo agrorum damno, pro dolore nephritico haberi.* Non minorem attentionem meretur monitum Baglivii (b) circa diagnosim pleuritidum doloris expertium: *Pleuritides, ait, frequenter sunt occultæ, quia indolentes; unde gravissimi errores in praxi succedunt: Ut hi imposterum vitentur scopuli, signum dabimus latentes & indolentes pleuritides manifestandi: Fac ut ager in dextrum vel sinistrum latus decumbat; decumbenti impera ut fortiter respiret & tussiat; finita una aut altera respiratione, pete ab illo an inter respirandum & tussendum, dolorem aut gravedinem alicubi in pectore persentiat; quod si affirmet, pro certo habeto pleuritidis sedem illic esse, ubi dolorem aut gravedinem indicaverit: Hujus signi certitudine plures deteximus occultas pleuritides magno agrotantium commodo.*

§. XIV. Pleuritidis Eventus triplex est: Tendit enim ad salutem, vel ad gangrenam, vel transit in abscessum.

A 3

§. XV.

(a) Barbette Prax. Med. Lib. 3. Cap. 1. §. 5. (b) Baglivius Prax. Med. Lib. 1. Cap. de Pleuritide. p. 53.

§. XV. Transít ad salutem ope Naturæ, vel Artis: Et quidem ope Naturæ hoc fit vel per resolutionem, vel per evacuationem criticam. Resolutione sanatur Pleuritis in initio morbi, si in temperie laxa inflammatio sit levis, constrictio vel crispatura solidorum non vehemens, liquidorum viscositas non magna, & materies stagnans non nimis impacta: Febris enim in hoc casu sua vi materiam concretam & stagnantem solvit & mobilem reddit, mobilem redditam circulo sanguinis restituit, sanguini mixtam subigit, & sub specie transpirationis insensibilis expellit; quo facto cessant febris, dolor, dyspnœa & cætera symptomata, sanusque evadit æger sine ulla evacuatione manifesta. Resolutionis viam ingressuram fore Naturam sperare possumus, ubi symptomata, tum febris communia tum morbo peculiaria, sunt vel fiunt leviora; nempe si febris sit mitis, calor blandus, sitis nulla vel pauca, pulsus vix durus, respiratio facilis, dolor levis, tussis nulla vel pauca, præsertimque si simul adsint totius corporis laxitas & mollities.

§. XVI. Evacuatione critica terminatur Pleuritis. I. Ubi sudor subitus, ingens, & constans erumpit, cum mollitie, & calore blando totius corporis. II. Ubi urina copiosa, crassa, hypostatica, stranguriosa, cum copioso sedimento redditur. III. Ubi supervenit effluxus sanguinis criticus vel per nares, vel per menses, vel per hæmorrhoides. IV. Ubi sputum copiosum, album, leve, æquale constanter & liberalius rejicitur. V. Ubi per alvum materies flava, biliosa, & copiosa fluit: Licet autem Diarrhœa, ex sententia Hippocratis Sect. 6. Aphor. 16. & ex consensu omnium Auctorum, pleuritidi superveniens mala sit; quandoque tamen, licet rarius, alvi fluxus est criticus, ut patet ex observatione 4. & 5. Lib. 1. Valleriolæ, ubi videre est quomodo duo pleuritici a faucibus orci erepti fuerint beneficio alvi fluxus critici: Huc etiam spectat prognosticum Hippocratis in Coacis, *Quibus in febre lateris dolor incidit, si quidem perliquidis & biliosis profuse alvus feratur, mitescit.* VI. Ubi nascuntur abscessus sub auribus vel in cruribus: In pleuritide parotidas aliosque abscessus criticos ad crura frequentes fuisse apud Græcos, patet ex Hippocrate: Cum tamen crisis hæc in nostris Regionibus rarissima sit, ab Auctoribus vix recensita, sufficiet hic indicasse Auctores, qui de ea egerunt: Consulantur itaque Hippocrates (a), Menjotius (b), Baglivius (c), & Boerhaave (d). Rarioris
criseos

(a) Hippocrates Cap. 16. Coac. §. 22. 23. 24. 25. 26. cum notis Dureti. (b) Menjotius Dissertat. Patholog. Parte 3. p. 308. & seq. (c) Ba-

criseos mentionem facit Forestus (a), qui narrat pleuriticum sexto morbi die in extremis versantem incidisse sequenti die in Icterus, unde quarto decimo morbi die sanus evasit. Enarratas autem hasce criticas evacuationes fore legitimas & ad salutem tendere docet remissio febris, dyspnœæ, doloris, tussis, cæterorumque symptomatum. Una enim dictarum evacuationum criticarum superveniente, vel pluribus concurrentibus simul, febris decedit, vel remittit de sævitie, vel ex continua fit remittens vel intermittens, omninoque tandem citius seu tardius extinguitur: Remanet tamen ut plurimum post febris discessum dolor plus minus obtusus, sed brevi tempore minuitur sensimque evanescit, & cum eo simul dyspnœa decedit: Tussicula vero, si quæ remaneat, est levissima, sine irritatione, & sæpissime errori ab ægro commisso ortum debet, itaque sponte & brevi sedatur.

§. XVII. Celebrem de diebus criticis doctrinam, quæ nunc sub examine revocanda esset, multis verbis distringere, non operæ pretium duxi: Quidquid enim de diebus criticis tradiderunt Veteres, ut & Recentiores Veterum sententiis nimium addicti, incertum & infidum demonstrant tum experientia quotidiana, tum rixæ inter Auctores de eis agentes. Præterea, antequam crisis fieri possit, necesse est ut materia cruda morbi causam constituens, concoquatur; sed quantum temporis requiratur ut natura hanc concoctionem & præparationem absolvere possit, determinari non potest; hoc enim a minima circumstantia vel acceleratur vel retardatur, verbi gratia, a gradu morbi, temperamento ægri, remediorum noxiorum vel salutarium usu, diætâ, frigore, calore, passionibus animi &c; unde liquet incertam esse doctrinam de diebus criticis: Num autem hac in re nimis superstitiosi fuerint Veteres, numeris virtutem aliquam adscribentes; num vero in Regionibus calidioribus, uti in Græcia, locum habeat quodammodo doctrina de diebus criticis hic non inquiram.

§. XVIII. Gangrænâ imminere suspicamur. 1. Si in initio inflammatio violentissima fuerit, quod judicatur ex vehementia symptomatum; vel si in initio mitis, postea exacerbetur, fiatque violentissima; vel si remittenti morbo novus insultus pleuritidis violentissimæ superveniat; præsertimque si in omnibus hisce casibus debita remedia neglecta

glivius Prax. Med. Lib. I. p. 51. (d) Boerhaave Aphor. Cap. de Peripneumonia §. 837. & seq. usque ad §. 843. & §. 860. 861.

(a) Forestus Lib. 16. Observ. 36.

Et fuerint, vel si eis in tempore adhibitis non remiserit morbus de sævitie sua. II. Si superveniat alvi fluxus copiosus, liquidus, foetidissimus, viridis, nulla arte sedandus, isque sit symptomaticus, quod indicat exacerbatio omnium symptomatum. III. Si cum respiratione parva, frequenti, tussiculosa, suffocatoria, & stertorosa, febre violentissima, dolore peracuto, anxietate summa, calore interno & acerrimo, frigore extremorum, urina pauca & flammea, pulsu duro & celeri, instanti delirio, sputa nulla ejiciantur; vel si apparuerint, supprimantur nulla arte revocanda; vel si sint simul alba, rotunda, crassissima, vel flava, vel mere sanguinolenta, fusca, cœnosa, amurcosa; quæ omnia indicant pleuritidi supervenisse peripneumoniam violentissimam, quam brevi gangræna insequetur.

§. XIX. Gangrænam jam adesse scimus, si aliqua vel plura ex signis §. 18. enarratis præcesserint, simulque subito sine ulla causa dolor evanescat remanente tantum sensu obtuso, pulsusque sit parvus, celer, intermittens cum subsultu tendinum, respiratio parva & celer, adsitque debilitas summa, sudor frigidus, sputaque sint ichorosa, livescencia, foetida, mere nigra, deliriumque superveniat: Hinc brevi Sphacelus & Mors.

§. XX. Suppuraturam partem affectam præsumimus, si inflammatio non violentissima fuerit quam §. 18. & 19. ad gangrænam tendere diximus, sed tamen ita violens ut nec auxilio Naturæ vel Artis cedat; vel si in tali inflammationis gradu remedia requisita prætermissa fuerint; febrisque, dolor punctorius, dyspnœa, tussis cæteraque symptomata perseverent ultra quartum decimum diem: Non tamen hoc de quarto decimo die ita absolute accipiatur, ac si nec citius nec tardius fieri posset suppuratio: Ante & post hunc terminum fieri sæpissime suppurationem docent observationes ut & lites inter Auctores de hoc termino: Hoc enim Naturæ opus retardatur vel acceleratur a minima circumstantia, & huc referri potest quod diximus §. 17., nempe determinari non posse quantum temporis requiratur ut Natura absolvere opera sua possit.

§. XXI. Fieri suppurationem docent, si præcesserint modo dicta §. 20., simulque ingravescant febris, dolor, dyspnœa; imo quandoque accedit delirium: Succedunt horripulationes vagæ, leves, & sæpe eodem die recurrentes: Febris ex continua fit remittens vel intermittens, usque paroxysmi in principio nullum ordinem servant: Postea tamen febris

febris quotidianæ, & aliquando sed rarius, tertianæ typum induit; incipitque certo diei tempore cum algore & rigore, proceditque cum intenso calore, & tandem desinit in sudores nocturnos, copiosos & colliquativos: In initio cujuscunque hujus febris paroxysmi exacerbantur dolor, dyspnœa & tussis, cæteraque symptomata, quæ durante sudore & sub finem paroxysmi mitescunt: Doloris acuties tamen quotidie minuitur, & punctorio dolori de die in diem sensim remittenti succedit sensus ponderis in parte affecta; & quantum punctorius dolor decrescit, in tantum increscit dolor gravatorius, qui solus tandem superest doloris acutie omnino obtusa: Respiratio semper fit difficilior, & minor: Tussicula crebrescit sputum nullum exigens, vel paucum atque dulce: Dyspnœa & tussicula post cibum, potum & motum exacerbantur: Sitis est maxima: Pulsus est debilis, mollis & celer: Rubent genæ & labia: Emaciatur æger, viresque paulatim amittit: Decubitus per totum suppurationis tempus in parte sana est intolerabilis: Quandoque tumor œdematosus in parte externa apparet.

§. XXII. Instante disruptionis tempore, dum pus exitum quærit, oritur rigor, horror, & exacerbantur febris, dyspnœa & tussis, & præter dolorem gravatorium exoritur dolor acutus & pungens. Rupto autem abscessu omnia subito remittunt symptomata, præsertim dolor qui omnino evanescit: Sed cum continuo novum pus depluat in cavitatem thoracis illamque repleat, unde impeditur pulmonum expansio; paulo post redeunt respiratio suffocatoria, parva, anhelosa, tussis sicca, perpetua, gravitasque ingens circa diaphragma percipitur: Adest Hæctica cum pulsu celeri & parvo, siti perpetua, animi deliquiis, & summa anxietate: Decubitus qui ante abscessus ruptionem in parte sana erat intolerabilis, nunc adhuc intolerabilior in latere libero; imo tandem suffocari videtur æger, si jaceat: Dum de latere uno in aliud se commovet æger, percipit fluctuationem in thorace. Tandem omnia hæc symptomata eo magis augentur, quo major quantitas puris in cavo pectoris coercervatur: Et ni in tempore ei exitus paracenthesi concilietur, vel suffocatur æger, vel corroduntur pulmones, unde phthisis oritur cum tussi ita enormi ut vomitum excitet, præsertim post ingestionem cibi vel potus; succeditque debilitas summa, totius corporis habitus ad summam maciem reducitur, excavantur oculi qui fulgorem & splendorem amittunt, ungues recurvantur, pedes tumescunt, sudores sunt intense colliquativi, urina redditur colliquativa, diarrhœa accedit colliqua-

liquativa, facies hippocratica, tandemque mors.

§. XXIII. Cum ex parte historiam morbi constituat Prognosis, de ea nunc agendum. Pleuritis in genere morbus est acutus & periculi plenus; notandum tamen quod peripneumonia multo sit periculosior pleuritide: Si pleuritidi superveniant alii morbi, ex. gr. diarrhœa, peripneumonia, phrenitis &c, vel si pleuritis incidat in ægros alio morbo jam laborantes, ut in variolis affectos, tabidos, puerperas, in summo periculo versabitur æger. Desumuntur præterea prognostica generalia ex viribus ægri: Hinc periculosissima censetur pleuritis, quæ adoritur pueros, senes, cachecticos, gravidas: Hinc ex Hippocrate, *Exercitata corpora & coacta celerius a pleuritide & peripneumonia intereunt, quam quæ in otio conflictantur*, præsertim si prætermissa fuerit venæsectio, vel non satis iterata.

Specialia prognostica suppeditant magnitudo vel remissio febris, dyspnœæ, doloris, tussis, cæterorumque symptomatum; copia, color & consistentia sputorum & urinæ: Sed cum hæc prognostica plusquam satis pateant ex tradita morbi historia, iis non immorabor: Si quis tamen longiorem prognosticorum enumerationem desideret, adeat Coacas Hippocratis, & quidem notis Dureti illustratas.

Omnia fere prognostica ut uno quasi verbo colligam, referam §. 21. Lib. 16. Coac. Hippocratis, *Est autem perinde his (nempe pleuriticis) atque peripneumonicis salutare, alacriter morbum ferre, doloris vacuitatem habere, ipsum vero sputum facile expurgari, spirare ex facili, sitim nullam, corpus æqualiter molle & calidum: Ad hæc somnos, urinas, dejectiones salubres: Contraria horum terrifica. Hic adde Aphor. 47. Sect. 4. Excreationes in febribus non intermittentibus livide, cruentæ, foetide, biliosæ, omnes male; commode tamen si prodeant, bonæ: Et eadem ratio est quoad alvi egestionem, & quoad urinas. Si quid vero quod non juvat, per hæc loca excernatur, malum.*

C A P U T II.

Pleuritidis ætiologiam continens.

§. I. **Q**uamquam nos lateat, & semper latebit, minima ac subtilissima solidorum & fluidorum structura, eorumque in se invicem actio & vis; quamquam ipsarum rerum sub sensus cadentium

dentium essentiam assequi nec sensibus nec mentis acie possimus; nihilominus Hypothesium excogitandarum luxuria invaluit in Medicina, magno artis detrimento ægrorumque damno: Hinc infidæ morborum historiæ, imaginationi potius quam sedulæ observationi nitentes: Hinc Medici in tantum discrepantes; hinc mutuo sese refellentes; recte omnes dum aliorum hypotheses distringunt, pessime dum propriis placitis fidem adstruere conantur: Hinc tanti in praxi errores. Ne tamen quid insoliti & novi affectare videar, & ut mori solito satisfaciam, quidquid verosimilius excogitatum fuit ad explicanda varia pleuritidis phænomena, referam: Antea tamen causarum remotarum enumeratio, partisque affectæ descriptio tradendæ sunt.

§. II. Causæ remotæ sunt frigus externe vel interne susceptum subito post magnum calorem, æstus ingens a quacunque causa externa vel interna excitatus, plerhora, transpiratio insensibilis impedita, evacuationes quæcunque solitæ suppressæ, vulnera & contusiones in parte affecta.

§. III. Pars affecta est membrana pleura: Membrana hæc ex duabus lamellis constat, quarum interior thoracis cavitatem respiciens est lubrica, ne pulmones in eam impingentes lædantur; externa vero lamella aspera est & costarum perioestio & musculis adnectitur: Inter duas hasce pleuræ lamellas incedunt vasa intercostalia, nempe arteriæ, venæ & nervi. Membrana hæc totam thoracis cavitatem diaphragmatisque superficiem superiorem investit, constituitque tum mediastinum tum pericardium, quorum ope thoracis cavitas in duas partes secundum longitudinem dividitur: Hinc patet pleuritidem non tantum in lateralibus, sed in omnibus thoracis partibus oriri posse. Præter membranam pleuram, quæ primario & semper afficitur in pleuritide, non tantum musculi intercostales; sed etiam plus minus laborant pulmones, vel saltem illa pulmonum medietas, quæ respicit partem dolentem, uti inferius §. 12. & 13. demonstrare conabor.

§. IV. Pleuritidis causa continens vel proxima est stagnatio globulorum sanguineorum, in finibus arteriosis vel in vasculis lymphaticis arteriosis, per membranam pleuram vel intra ejus duplicaturam perreptantibus.

§. V. Liquidum aliquod stagnare in Inflammationibus, probatur r. ex tumore partis affectæ: Si enim tanta liquidi copia efflueret ex parte affecta, quanta ad eam affluit, non in tumorem attolleretur. II. Ex

renitentia & duritie partis affectæ: Non autem reniteret, nisi liquidum influens effluxu denegato vasa distenderet; in statu quippe naturali, ubi tantum effluit quantum affluit, omnia mollia sunt.

§. VI. Liquidum stagnans in Inflammationibus esse *sanguinem*, demonstratur ex rubedine partis inflammatae: Vasa enim omnia per se sunt alba, nullumque liquidum in corpore nostro existit rubrum, quam pars sanguinis crassior, seu globuli sanguinei: Hinc sequitur colorem corporis nostri rubicundum adscribendum esse sanguini contento in vasis transparentibus. Quod in parte inflammata rubedo in tantum augeatur, fit, i. quia arteriæ minutissimæ, vixque visibiles a sanguine stagnante & à tergo irruente plurimum distenduntur: ii. Quia vascula lymphatica antea pellucida & invisibilia sanguine turgent, quod patet in Ophtalmia; in albo enim oculorum naturaliter constituto, nulla apparent vascula, quæ statim ac oculus inflammatur, innumera sanguineque turgida apparent.

§. VII. Objiciet forsan aliquis in pleuritide nec tumorem, nec renitentiam, nec rubedinem in conspectum venire: Sed apertis cadaveribus pleuritide interemptis, tumor, renitentia & rubedo pleuræ perspicue conspiciuntur. Præterea cum in omnibus inflammationibus externis adsint tumor, renitentia & rubedo partis inflammatae, ex analogia morborum concludere possumus hæc similiter in inflammationibus internis adesse.

§. VIII. Sanguinem stagnantem non extravasari, sed intra vasa contineri, demonstratur ex eo quod vel ope Naturæ vel Artis inflammatio sæpe resolvatur: Nunquam enim resolveretur inflammatio, si sanguis extra vasa esset effusus; imo tunc semper in suppurationem tenderet.

§. IX. Stagnationem inflammatoriam fieri in *arteriis capillaribus* vel *lymphaticis*, non autem in *venis* patet ex ipsa vasorum structura: In arteriis enim fluit sanguis ex lato in angustum, in venis vero ex angusto in latum, unde liquido constat illas his esse stagnationi magis obnoxias. Concedo tamen stagnare posse sanguinem in venis, sed hæc stagnatio nunquam erit inflammatoria, nisi simul fiat stagnatio in finibus arteriosis; excepta vena portæ, in qua ut in arteriis sanguis fluit ex lato in angustum.

§. X. Cum demonstraverim inflammationum causam proximam esse stagnationem sanguinis in finibus arteriosis, examinandum nunc quare sanguis stagnet, & quomodo causæ remotæ §. 2. enarratæ hanc possint efficere stagnationem.

San-

Sanguis stagnat vel sui ipsius, vel vasis, vel utriusque vitio.

Vitio sanguinis fit vel propter plethoram, vel propter qualitatem vitiatam. Propter plethoram enim vasa capillaria, ultra terminum elasticitatis distenta, sese restituere nequeunt; & imminuta vel destructa vi vasorum contractili, cessat ulterior progressus sanguinis: Huc pertinent evacuationes solitæ suppressæ, menses, hæmorrhoides, transpiratio insensibilis, &c. Vitiata vero qualitate sanguinis ita ut fiat crassus & viscidus, in finibus arteriarum capillarium hærebit: Huc referenda omnia coagulantia, terrestria, quæ sanguinem imprægnant particulis ad motum ineptis: Huc spectat derivatio tenuioris partis ex massa sanguinea propter nimium & subitum solis ardorem & æstum, nimium corporis motum, exercitationes vehementiores, plethoram, potus spirituosos vel cardiacos vulgo dictos in nimia copia assumptos; hisce non tantum liquidiora e corpore eliminantur, crassiorque fit sanguis, sed præterea ab illis nimio in sanguine motu excitato, crassiores sanguinis particulae in minima vascula vi quadam adiguntur, unde ibi hærent & stagnant.

Vitio vasorum fit ubi vasa ita constringuntur, ut diameter globuli sanguinei irruentis, sit major diametro vasis: Hanc constrictionem vasorum produciunt contusiones, vulnera; hanc efficiunt frigus quomocunque vel externe vel interne admissum, & præsertim subito post ingentem æstum susceptum; hanc creant omnia stimulantia in nimia quantitate assumpta. Quomodo utrorumque, scilicet vasorum & sanguinis, vitio fiat stagnatio, ex dictis plusquam satis patet.

§. XI. Explicata causa inflammationum & pleuritidis in specie, videntur nunc quomodo inde deduci possint symptomata huic morbo propria. Dolor oritur a distensione fibrillarum ultra terminum elasticitatis; globuli enim sanguinei in vase impacti & cedere nescii, a sanguine impetuosius a tergo irruente, magis atque magis adiguntur, unde distensio ingens fibrillarum vasis: Dolor in pleuritide est acutissimus, quia pars affecta est membranacea; & cum membranæ nihil aliud sint quam nervosæ expansiones, nervi vero instrumenta quibus sensationes ad cerebrum deferuntur, patet quare exquisito sensu gaudeant membranæ. Quomodo sensatio hæc menti communicetur, explicet ille, cujus captum non superat unio mentis & corporis. Dolor laterales thoracis partes frequentius occupat, quia thorax in partibus lateralibus minus carne tegitur, ideoque frigori suscipiendo magis in hac parte aptus est: Lenior

est in expiratione quia tunc relaxatur pleura: In inspiratione & in cæteris thoracis motibus, ut in tussi, asperior est, quia tenditur & expanditur pleura, unde major fibrillarum affectarum distensio: Non exacerbatur dolor a pressione in partem affectam, quia costæ impediunt quin pressio ad partem affectam pertingere possit: Decumbente ægro in partem oppositam parti affectæ, asperior fit dolor, quia pondus sanguinis stagnantis in pleuram incumbit, eamque distendit & a partium vicinarum adhæsu quasi divellit; e contra in partem affectam decumbente ægro, minor est dolor, quia costæ, quibus tunc incumbit pars affecta, impediunt quin pondus sanguinis stagnantis distendat pleuram. Instante suppuratione dolor fit major, quia sanguis stagnans necessario putrescit, acriorque redditur, unde vasa exedit; vasa autem hæc exesa impetum sanguinis a tergo prementis sustinere nequeunt, unde in immensum tenduntur, donec tandem rumpantur. Facto pure remittit dolor, quia tunc fibræ vasorum jam sunt ruptæ, unde distensio cessat; succeditque dolori sensus ponderis vel gravatorius, quia ruptis omnibus vasculis & fibrillis, pus stagnans incumbit in pleuram. Instante disruptionis tempore dolor exacerbatur, quia fibrillæ pleuræ multum distenduntur; rupto vero abscessu evanescit dolor & sensus gravatorius circa partem affectam, quia fibrillis tum internis tum externis ruptis, effluit pus in cavum thoracis, unde nulla amplius fibrarum distensio.

§. XII. Dyspnœam vulgo adscribunt Auctores vel tumori pleuræ expansionem pulmonum impediendi, vel exacerbationi doloris ab inspiratione. Vix tamen concipi potest tumorem ita magnum in pleura fieri posse, præsertim sub initio morbi, ut tantam dyspnœam qualem in pleuritide observamus inferre possit. Ab exacerbatione doloris in inspiratione non oriri videtur, cum in intervallis inter inspirationem & expirationem sensu suffocationis & anxietatis, affligatur æger, a quo tunc immunis esse deberet si a sola doloris exacerbatione oriretur dyspnœa: Præterea in externis thoracis affectibus, ut in inflammatione musculorum costis superstratorum, pleuritide spuria, catarrhis, licet exacerbetur dolor ab expansione thoracis, nihilominus nullum animadvertimus sensum suffocationis. Dyspnœam itaque oriri puto, quia pulmones in pleuritide sunt plus minus affecti, & quidem eo modo quo afficiuntur in peripneumonia: Cum tamen minus lædantur pulmones in pleuritide quam in peripneumonia, etiam dyspnœa levior est in illo quam in hoc morbo. Levissimam hanc pulmonum inflammationem in pleuritide

ritide non oriri statuo ab omnimoda stagnatione sanguinis in finibus vasorum, sed tantum a difficiliore circulo sanguinis per pulmones vel propter crispaturam fibrarum, vel propter nimium impetum, fervorem & crassitiem cruoris, vel hisce simul concurrentibus: Inde enim necessario distenduntur vasa sanguinea, & comprimuntur vesiculæ bronchiales quæ vasis sanguineis undique interjectæ sunt, unde gravitatis seu anxietatis sensu afficiuntur ægri; præterea cum vesiculæ bronchiales propter compressionem ad expellendum intromittendumque aerem ineptiores fiant, rursus major occasio stagnationi sanguinis datur, & hinc suffocationis & dyspnœæ sensus oritur.

§. XIII. Tussim etiam solæ læsioni pulmonum adscribo: Difficilius enim circulante sanguine per pulmonum vasa, & a tergo nihilominus premente sanguine continuo affluente, turbatur secretio liquoris in glandulis, bronchiorum divisionibus adjacentibus: Glandulæ hæ, quarum exactam descriptionem tradit Verheyen (a), secernunt in statu naturali humorem unctuosum, quo oblitur interna bronchiorum superficies: Pressione vero aucta ad hæc glandulas, particulæ alterius indolis quam requiruntur, secernuntur & deferuntur in cavitatem bronchiorum, quorum tunica interior sensu exquisitissimo prædita inde stimulatur; hinc spiritus animales in majori quantitate ad fibras bronchiorum musculares determinantur, unde subito contractis bronchiis fit vehemens & sonora aeris expulsio, quæ vocatur tussis. In initio tussis est sicca, quia quod secernitur paucum est & tenuissimum, unde vim aeris eludit: Postea fit humida, quia a pressione sanguinis sensim superatur resistentia glandularum, unde major liquidi copia secernitur: Quod tamen in initio rejicitur, est paucum, tenue & subsalsum, quia quodammodo adhuc contracta glandularum vascula limpidissimum tantum liquorem transmittunt: Quandoque a nimio appulsu sanguinis, & a violentioribus tussis concussionibus vasculum aliquod sanguineum rumpitur, unde sputa sunt sanguinolenta, vel sanguineis striis intermixta, prout majus vel minus vasculum rumpitur: Tandem a continuo appulsu sanguinis, & a pertinaci tussi vasa dilatantur, unde transmittunt liquores crassiores quam in statu naturali, sicque fiunt sputa crassa & spissa: Varii vero coloris & consistentiæ sunt sputa pro natura particularum quas transmittunt vasa. Non operæ pretium est multis verbis refellere quidquid absurde finxerunt Auctores ut sputorum materiam ex parte pleuræ affecta deducerent:

(a) Verheyen *Anatomia Corporis humani* Tr. 3. Cap. 8. p. 271.

rent: Cum enim sputa in pleuritide sint ejusdem coloris & consistentiæ, quam in peripneumonia, plusquam satis patet pulmones in utroque hoc morbo sputorum suppeditare materiam: In peripneumonia vero cum inflammatio pulmonum sit major, non mirum quod sputa citius appareant, sintque copiosiora magisque sanguinea & crassa.

§. XIV. Febrem denique, Pleuritidis comitem, esse effectum doloris vulgo statuunt Auctores, eamque irritationi fibrarum adscribunt; sed quantum errent, patet ex eo quod ut plurimum dolorem præcedat febris. Quid vero sit febrium essentia, quid earum causa proxima determinare non suscipiam, quippe forsan nihil in tota Medicina obscurius fuit, donec tandem Sydenham & Morton historiam febrium accuratam, methodumque earum curandarum securam, quippe non fictis hypotheseis sed observationi sedulæ nitentem, tradiderint.

C A P U T I I I.

De Pleuritidis curandæ methodo.

§ I. **E**xplicato Pleuritidis genio, patet ex omnibus quibus terminatur modis, breviorē & securiorem esse resolutionem sine vel cum evacuatione sensibili: Quo igitur per hanc viam ducere possit naturam Medicus, sequentes exoriuntur Indicationes.

α: Vasa laxanda & emollienda sunt, ut quod iis impactum hæret, facilius permeare possit: Hocque fit i. imminuendo copiam liquidorum in vasis contentorum; ii. ingestione potus emollientis, humectantis, anodyni, in magna copia & tepide assumpti.

β: Materiæ stagnanti & obstruenti fluiditas concilianda, ut circulo sanguinis restitui possit: Hocque fit i. vasa laxando; ii. causam coagulantem infringendo, educendo, potu aquoso, diluente, attenuante, leviter aromatico, qui particulis suis penetrare valeat liquidorum moles concretas, calide & in copia ingesto.

γ: Impetus sanguinis arteriosi a tergo irruentis minuendus & cohibendus, per depletionem vasorum.

§. II. Imminutionem liquidorum, qua tribus hisce Indicationibus primario & simul satisfit, tentarunt Medici variis modis, nempe venæsectione, purgantibus, diaphoreticis, & diureticis: Itaque de his evacuandi modis seorsim agendum, & examinandum an, quomodo, ad quantam

quantam quantitatem, & quibuscum cautionibus conferant in Pleuritide.

§. III. Venæsectio tribus nostris Indicationibus satisfacit: Vasa enim emollit & laxat, quatenus imminuta liquidorum copia, distensio nimia vasorum minuitur: Materiæ stagnanti & obstruenti fluiditatem conciliat, quia vasis laxatis & depletis, eorumque compressione in se invicem sublata, necessario liquida in eis contenta rarefiunt; quia inde impeditur quin subtilior & fluidior pars e massa sanguinea eliminetur; quia denique ingestioni potus liquidi, emollientis & attenuantis locum facit: Impetum sanguinis arteriosi a tergo irruentis cohibet, quia depleta & inanita vasa non tantam exerere possunt vim in liquida in eis contenta, unde minuitur pressio ad partem affectam. Consentiant præterea omnes Medici, qui uno ore laudant venæsectionem in Pleuritide, exceptis solis Helmontii, si qui supersint, sectatoribus, quorum vanas & futiles objectiones refellere non est operæ pretium: Tam evidens enim est necessitas & emolumentum venæsectionis, ut in ejus actu dum sanguis fluit, dolor dyspnœaque remittant. Sed licet consentiant Medici circa necessitatem venæsectionis, disputant tamen de loco in quo vena secanda sit, & de quantitate sanguinis educenda, quas lites dirimere nunc conabor.

§. IV. Quæritur I. num secundum regulas revulsionis a Veteribus traditas; II. num in eodem latere, vel opposito parti affectæ, venæsectio instituenda sit. Respondeo parum mihi interesse in qua parte vena secetur, dummodo sufficiens educatur, iteratis vicibus pro necessitate, sanguinis quantitas; quod confirmare videtur tum experientia quotidiana, tum sanguinis inventa circulatio: In gravidis tamen observandum propter opinionem vulgi, ut semper in brachio, nunquam in pede secetur vena. Permissa Chirurgo itaque venæ electione, instituatur venæsectio cum magno vulnere, ut crassiori massæ sanguineæ parti exitus patefiat: Si tamen incisa vena, sanguis nullo modo vel vix erumpat, imperandum ægro secundum monitum Tulpæ (a), ut valide tussiat; statimque profiliet sanguis, qui nullis aliis modis antea evocandus erat.

§. V. Quanta vero sanguinis quantitas sit unaquaque vice educenda, determinandum ex gradu morbi, viribus, ætate & temperamento ægri: Sic in viro robusto, plethorico, violenta pleuritide detento, ad 3x.

C

(a) Tulpæ Lib. 2. Observ. 3.

vel xij.; nunquam tamen ad deliquium usque; præstat enim tuto pluribus vicibus efficere, quod unica vice sine periculo fieri nequit; & hic si unquam, *Natura ducenda, non cogenda*. Quoties autem iterari debeat venæsectio, & quanto temporis intervallo interposito, judicandum etiam ex ætate, temperamento & viribus ægri, ex violentia morbi, ex pertinacia & exacerbatione symptomatum, ad quorum sublationem vel imminutionem prima fuit instituta venæsectio; ita tamen ut semper violentia morbi comparanda sit cum viribus ægri: Sydenham (a) monet se raro in Adultis vidisse sanatam Pleuritidem confirmatam quam Unciarum sanguinis circiter XL. jactura; licet in pueris semel tantum aut bis secare venam ut plurimum sufficere dicat: Itaque si morbus sit violentior, vires magnæ, æger juvenis, robustus, plethoricus, bis eodem die ad ℥x. educendus sanguis, sequenti die iterum ℥x., & tertio die rursus ad eandem quantitatem; si vero morbus sit mitior, & vires fractæ non ferant tantam sanguinis jacturam interpositis tam brevibus intervallis, minor erit educenda sanguinis quantitas, & longiora inter venæsectiones erunt interponenda intervalla. Præterea consideranda natura cujuscunque Regionis: Sic in genere Galli & Angli majorem sanguinis jacturam ferunt quam Belgæ; quod non tantum ex speciali cujuscunque Regionis climate, & peculiari Incolarum constitutione deducendum, sed etiam ex natura victus & alimentorum: In hisce tamen Regionibus hoc prætextu ab iteratis venæsectionibus nimis abhorret vulgus, nimisque forsan huic hypothese indulgent aliqui Medici; & ut auctoritate viri, cujus sane judicium suspectum haberi nequit, hæc firmetur animadversio, legantur Observationes 1. & 2. Lib. 2. Tulpii.

§. VI. Animadverterat olim Sydenham, quod si crusta alba [de qua egimus §. 9. Cap. 1.] in superficie sanguinis extracti non appareat, non idem ægro commodum afferat venæsectio; sed rem longius prosecutus est Baglivius (b), cum inde indicationem ad iterationem venæsectionis defumat: *In Pleuritide*, ait, *Peripneumonia*, & hujusmodi inflammatoriis pulmonum morbis, si in sanguine e vena secta extracto non appareat in superficie crusta alba, quæ necessario apparere deberet, pessimum; materies namque illa crustam efficiens in pulmone remanet, eumque infarcit, unde paulo post crescunt febris, inflammatio, spirandi difficultas, & reliqua sympto-

(a) Sydenham Cap. 3. Sect. 6. p. 336. (b) Baglivius Prax. Med. Lib. 1. Cap. de Plenritide p. 55.

Symptomata : Si vero in altera sanguinis missione incipiat apparere , bonum : Contra si in secunda ne quidem apparebit , abstineto statim a sanguinis missione, aliter interficies agrotantem , quia per repetitam tunc sanguinis missionem, sanguis spoliatur parte volatiliori, unde major eidem ad coagulationes via præbetur.

§. VII. Quæritur num in muliere menstruis laborante , in gravida, in puerpera lochiis fluentibus vel suppressis , in variolis & morbillis, apparentibus jam pustulis vel maculis, venæsectio instituenda sit: Respondeo in muliere menstruis laborante & in puerpera lochiis fluentibus, considerandum esse num hic sanguinis fluxus suffecerit, ad eam sanguinis quantitatem evacuandam, quam natura & gradus morbi exigit: Si vero morbus sit ita acutus & plethora tanta, ut fluxus hic sufficere nequeat, statim instituenda venæsectio & iteranda pro viribus ægræ; nam licet inde supprimantur menses vel lochia, aliter evacuatur sanguis. In gravida, puerpera lochiis suppressis, variolis & morbillis licet appareant jam pustulæ vel maculæ, si fervoris, plethoræ, febris violentæ, pleuritidisque acutæ signa adsint, sine dubio vena secanda & iteranda venæsectio, dummodo vires constent pulsusque sit æqualis: Si vero tardius accersatur Medicus, vires sint dejectæ, pulsusque sit inæqualis, inordinatus, a venæsectione abstinendum: Notandum præterea hujusmodi ægros magnam sanguinis jacturam, & ex brevibus intervallis repetitam venæsectionem non ita perferre posse; sed hoc licet in genere verum sit, aliquando tamen patitur exceptionem, ita ut ratione cujuscunque individui determinanda sit venæsectionis iteratio ex ægri viribus comparatis cum violentia morbi; sic enim videmus Tulpium (a) octies secuisse venam in puerpera, octavo a partu die, acerbissima pleuritide correpta.

§. VIII. In teneris infantibus, & senibus magna cum cautione vena secanda, & quidem in parva quantitate sanguis evacuandus, rariusque venæsectio iteranda: Respiciendum tamen non tam ad annorum numerum, quam ad vires; fieri enim potest ut vir octoginta annorum, facilius ferre possit venæsectionem quam quinquagenarius.

§. IX. Si Pleuriticus diarrhœa corripiatur, tantum abest ut a venæsectione abstinendum sit, quin e contra venæsectione sistatur vel minuat saltem diarrhœa, ut testatur Sydenham (b).

C 2

§. X.

(a) Tulpus Lib. 2. Observ. 2. (b) Sydenham Sect. 6. Cap. 3.

§. X. Purgantia imminuunt quidem copiam liquidorum, sed locum nullum habere possunt in febribus acutis & inflammatoriis circa morbi initium. Purgantia enim agunt partim intra primas vias, quatenus vellicant & stimulant glandulas intestinales, unde major liquidi per eas secretio; partim ad massam sanguineam delata humores solvunt, irritantque & vellicant canales per quos deferuntur: Hinc necessario sequuntur major tensio, irritatio & crispatura solidorum, major motus & impetus fluidorum, & secessio partis liquidioris e massa sanguinea, remanente intra vasa parte crassiore: Unde facile intelligitur quomodo a purgantibus in pleuritide exhibitis oriri possint diarrhoea mortifera vix sistenda, exacerbatio febris, doloris & dyspnoeæ, peripneumonia, phrenitis &c. Hæcque symptomata eo magis post usum purgantis expectanda, quo æger robusto, duro & coacto corpore magis præditus est, quo ejus ætas floridior, quo tempestas anni vel Regio calidior, quo purgans fortius & acrius exhibitum fuerit: In senibus vero, cachecticis, fibrarum laxitate aut flacciditate donatis, in tempestatibus & Regionibus humidis non tantam noxam inferunt purgantia; imo in illis quandoque, ingenti cruditatum saburra existente in primis viis, post venæsectionem, concedi potest purgans aliquod lene vel laxativum, & quidem potius forma liquida quam pillulari vel pulveris, potiusque vehiculo aquoso quam spirituofo solutum. Quomodo autem sub morbi finem prodesse possint purgantia infra §. 23. videbimus.

§. XI. Non tantum purgantibus in initio pleuritidis usi fuerunt quidam Medici, sed etiam vomitoria exhibuerunt aliqui Chymici, temerario sane ausu: In vomitu enim omnia vasa abdominis comprimuntur propter ingentes musculorum abdominis contractiones, & singulariter quidem truncus aortæ ita constringitur ab expansionibus diaphragmatis, ut denegato quodammodo sanguini transitu ad partes sub diaphragmate locatas, major fiat sanguinis aggestio in vasis supra diaphragma sitis; quod manifesto patet ex rubedine faciei ingenti, ex difficili & celeri respiratione, ex capitis dolore gravatorio vomitum excipientibus: Præterea vasa pleuræ & pulmonum non tantum magis sanguine turgent, sed sanguine turgida comprimuntur, constinguntur, distenduntur & crispantur propter validas thoracis in vomitu contractiones, diaphragmatisque motus enormes & quasi convulsivos: Hinc facile deducitur quomodo ex usu vomitorii in pleuritide possint exacerbari omnia symptomata, & oriri hæmoptysis ingens, peripneumonia, paraphrenitis &c,

imo

imo suffocatio in ipsa vomitorii operatione. Non nego tamen levio-
 rem pleuritidem ab usu vomitorii sanari posse; si enim obstructio ita levis
 fuerit ut superari possit a sanguine a tergo impetuosius irruente, solve-
 tur stagnatio: Sed cum ex una parte nulla habeamus signa quibus di-
 gnoscere possimus an obstructio levis fuerit nec ne, dum ab altera ex
 usu vomitoriorum in pleuritide magna accersantur mala, jure merito ab
 eis abstinendum esse censeo. Nihilominus dari potest casus, in quo lo-
 cum habere possent vomitoria, nempe si dolor pleuriticus concomite-
 tur talem febrem epidemicam vel malignam, quæ necessario requirat u-
 sum vomitorii; in simili enim casu præstat ancipiti remedio uti quam
 nullo, præsertim si simul adhibeantur cautiones, quas variæ circumstan-
 tiæ & natura morbi symptomatumque indicabunt.

§. XII. Licet purgantia proprie dicta non conveniant, magno tamen
 cum commodo usurpari clysteres diluentes & emollientes docet expe-
 rientia, præsertim si alvus valde adstricta fuerit, quod ut plurimum
 contingit in pleuritide: Non tantum enim ex usu clysterum emollien-
 tium nihil mali timendum, sed e contra hæc expectanda commoda: I.
 Fæces induratae diluuntur & emolliuntur, unde facilius excernuntur;
 alvo vero existente libera minor datur occasio colluviei cruditatum in
 primis viis. II. Emolliuntur fibræ intestinorum, quibus relaxatis non
 tantum facilius particulae crassiores e massa sanguinea per glandulas inte-
 stinorum excernuntur; sed præterea relaxatio hæc toti systemati nervo-
 so communicata ad partem affectam usque sese extendit. III. Emol-
 liuntur & relaxantur vasa meseraica, hinc minor erit eorum resistentia,
 major ad illa sanguinis affluxus, & per ea facilius fiet circulatio; unde
 ad cætera omnia vasa minor erit sanguinis pressio & impetus. Itaque
 post primam venæsectionem statim injiciatur clyster emolliens, qui re-
 petatur pro pertinacia adstrictionis alvi, vel bis in die, vel semel in die
 tantum; vel alterno die.

§. XIII. Quidam Medici, præsertim in certis Regionibus animad-
 vertentes pleuritidem, cæterosque morbos inflammatorios & febres con-
 tinuas acutas sudore critico quandoque sanari, statim in horum morbo-
 rum principio, neglecta venæsectione vel præmissa ad aliquot uncias, dia-
 phoretica calidiora exhibent, & ægros ad sudores cogere totis conantur
 viribus. Fateor in febribus acutis & inflammatoriis, ubi Naturæ tota
 committitur cura, quandoque per diaphoresim expelli materiam morbi
 bene coctam & subactam; sed inde non concludendum omnem sudorem

conferre: Sunt enim salutare tantum & critici sudores quotiescunque humores cocti & præparati blande amandantur, quod patet ex remissione morbi ejusque symptomatum; sunt e contra funesti & symptomatici sudores, licet sponte vel arte elicit, quotiescunque materia cruda existente effluunt, tales enim sudores anxietatibus & inquietudine stantur, & ab eis nullo modo symptomata levantur. Cum itaque sudores non conferant, nisi prius concocta & subacta fuerit materia peccans, patet incertam sane esse hanc methodum; nam, ut optime animadvertit Sydenham (a), cum *nesciat Ars quo pacto materia peccans ad expulsionem subeundam rite preparanda sit; nec si hoc sciat, certa ulla habeat indicia quibus de hujusmodi debita preparatione possit moneri, etiam & tempus ciendo sudori opportunissimum ignorari necesse est: Præterea sicut ignorat Ars opportunitatem illam temporis, qua sudores eliciendi fuerint, ita pariter nescia quamdiu in iisdem perseverandum sit, nam si diaphoresis ultra debitum tempus protrahatur, humidarum istarum particularum, quibus sanguis diluendus contemperandusque erat, absorptio, febris tum moræ diuturniori, tum incremento ministrabit.* Non tantum incerta & infida hæc est methodus, sed & periculi plena: Ex usu enim sudoriferorum calidiorum vellicantur, crispantur, & tenduntur solidorum fibræ, fluidaque in majorem æstum, fervorem & motum coguntur, unde adiguntur particule crassiores in vasa capillaria; prætereaeducta per diaphoresim parte liquidiori, reliqua massa fit crassior, & si acrimonia adsit, ob defectum vehiculi diluentis fit acrior; hinc non tantum obstructio fiet major in parte affecta, sed & stagnabit sanguis in aliis partibus, unde facile deducitur quare post usum sudoriferorum calidiorum in pleuritide, febris, dolor, dyspnœa exacerbentur, & peripneumonia, vel hæmoptysis, vel phrenitis &c facile oriantur. Denique circa sudorifera calidiora observatum est, quod in omnibus morbis, ubi fibrarum ingens tensio, & massæ sanguineæ lentor & fervor adsunt, tantum absit ut eorum ope sudores eliciantur, quin e contra eorum usu diaphoresis supprimatur: In talibus enim morbis sudores vix eliciuntur nisi ope largæ & repetitæ venæsectionis, & ingestione potus diluentis & refrigerantis, quippe iis relaxantur fibræ, solvitur lentor & temperatur fervor, unde postea sponte subsequuntur sudores largi & ut plurimum salutare.

§. XIV. Observarunt Auctores aliqui in pleuritide suppurata pus per urinas quandoque redditum fuisse, hincque concluderunt in pleuritide diure-

(a) Sydenham Sched. monitor. p. 679. 680.

diuretica esse exhibenda ut urinæ fluxus promoveatur: Incertæ tamen & obscuræ sunt observationes de pure per urinas reddito; difficillime enim dignosci potest in urinis an materia purulenta sit nec ne, nisi simul alia signa ulceris in vesica vel renibus existentis adsint & præcesserint: Fateor tamen in pleuritide, ut in cæteris febribus acutis & inflammatoriis, fieri posse evacuationem criticam per urinas, sed inde nequaquam concludere licet secretionem urinæ esse diureticis promovendam & cogendam; nam cum diuretica a diaphoreticis tantum gradu differant, eadem sane ex diureticorum calidiorum ac ex diaphoreticorum usu orirentur incommoda.

§. XV. Vidimus jam quomodo ope evacuantium imminuatur vasorum constrictio, solvatur sanguinis lentor, ejusque sedetur impetus: Reliquum absolvet ingestio potus largi, emollientis, diluentis, refrigerantis, anodynæ, attenuantis: Huc itaque referendæ sunt Emulsiones ex seminibus frigidis, cannabis, cardui mariæ &c; Dedocta hordei, Foliorum veronicæ, capillorum veneris; Radicum taraxaci cum foliis, scorzonæ, graminis, liquiritiæ; rasuræ C. Cervi; Florum papaveris erratici &c: Quibus feliciter additur nitrum; refrigerat enim, & diluit sanguinem, sed præterea alvum quodammodo laxat, unde non tantum in potu sed & in clysteribus summo cum commodo usurpatur. Observandum tamen circa horum potuum usum, quod majori relaxandi vi polleant, faciliusque vires suas ad massam sanguineam deferant si tepidi vel calidiusculi bibantur: Præterea non magni haustus sunt sorbendi, nam inde obrueretur ventriculus; sed partitis & repetitis vicibus fieri debet quod unica vice fieri nequit: Denique omnia acida, licet refrigerent, vitanda, quia tussim movent & lentorem sanguinis adaugent.

§. XVI. Si lentor sanguinis major sit ut hisce potibus solis possit solvi, exhibenda sunt præter hosce potus ad majorem sanguinis attenuationem, remedia attenuantia, incidentia, acrimoniamque acidam & coagulatoriam, quæ plerumque in sanguine latet, obtundentia. Huc referenda sunt omnia diaphoretica & diuretica, qualia sunt Radices millesfolii, apii, petroselini, helenii, imperatoriæ, angelicæ, &c; Flores calendulæ, chamomillæ, croci, &c; Semina dauci, apii, fœniculi &c; camphora, sperma ceti; omnia salia alkalina tam volatilia quam fixa, spiritusque alkalino-volatiles, qualia sunt sal. volat. & spir. armon., C. C., fulig. &c; sal tartari, absynthii &c; uno verbo omnia remedia particulis alkalino-volatilibus, vel salinis alkalinis fixis gaudentia.

Ne

Ne quis tamen mihi objiciat me superius diaphoreticorum & diureticorum usum improbasse, hoc monendum habeo, quod licet diaphoretica & diuretica, quatenus sunt evacuantia, nequaquam convenient, nihilominus quatenus sunt alterantia, optime usurpentur: Lentorem enim sanguinis solvunt, vel sanguinis moleculas aculeis suis & spiculis dividendo, vel acrimoniam acidam & coagulatoriam obtundendo: Itaque mitiora diaphoretica & diuretica summo cum commodo exhibentur, dummodo tam parva sit eorum dosis, ut tantum sanguinis lentorem solvere, nequaquam vero diaphoresim vel diuresim cogere possit: Imo calidiora & acriora diaphoretica & diuretica ex usu esse possunt, dummodo in minima dosi exhibeantur, & tanto vehiculo aquoso, diluente & anodyno temperata sint, ut præter insensibilem sanguinis attenuationem nullam vim exserere possint. Fateor præterea in humidioribus Regionibus, in tempestate frigido-humida, in senibus, pituitosis, cachecticis paulo majorem exhiberi posse diaphoreticorum vel diureticorum dosim; quia 1. cum in eis naturaliter fibræ sunt laxiores, fervorque sanguinis minor, non tantas excitabunt turbas; 2. cum in eis humores sunt crassiores, massaque sanguinea acidior & vappidior, major requiritur vis ad alterandos humores. Denique ad compagem sanguinis nimis arctam solvendam, ejusque acrimoniam acidam obtundendam, mire conferunt alkalia fixa vulgo dicta, hocque privilegio peculiari gaudent quod ab eorum usu liberaliori nihil mali sit timendum: Talia sunt oculi & chelæ cancerorum; testæ ostreorum, concharum, ovorum; margaritæ; rasura C. Cervi, eboris; mandibulæ lucii piscis, os sepia; rasura cranii humani, cæterorumque ossium, &c: Vix tamen concipi potest sufficientem horum pulverum, licet subtilissimorum, quantitatem ad massam sanguineam per vasa lactea, quippe adeo subtilia, deferri posse, ut sanguinem alterare possit; sed quatenus ab hisce testaceis obtunduntur & absorbentur acida primarum viarum, chylus fit tenuior & quodammodo balsamicus, qui ad massam sanguineam delatus eam diluit, & acrimoniam in ea hærentem obtundit: Quod autem attinet ad præparationes horum testaceorum cum acidis, sub nomine Magisterii notas, hoc *Arti debent*, ut optime animadvertit Harris (a), quod cum potenter absorbere acidum apta nata prius fuerint, acido-dulcia jam reddita, ad idem minus valeant.

§. XVII. Præter hanc curandi methodum generalem, quæ morbi causam

(a) Harris de morbis acutis infantum. p. 19.

causam proprie respicit, & omnibus fere inflammationibus exquisitis communis est; symptomata pleuritidis propria, nempe dolor, tussis & respiratio difficilis peculiarem requirunt medicinam, quæ nunc examinanda & tradenda.

Dolori prospicimus relaxando fibras contractas, & solvendo liquida impacta, quod quibus modis fiat ex generali methodo abunde patet; sed præter generalia remedia, specificus hic est narcoticorum usus, præsertim si sub initio morbi post venæsectionem exhibeantur: Notandum tamen circa narcotica, quod licet maxima pars hominum ferre possit gr. j. opii unica vice exhibitum, reperiantur quandoque homines talis constitutionis & temperamenti, ut in magna deliquia vel sopores, imo deliria conjiciantur ab uno grano opii unica vice ingesto: Præstat itaque in pleuritide non tantum sed & in cæteris omnibus morbis, granum unum vel duo laudani opiati solvere in mixtura ℥v. vel vj. morbo appropriata, hancque mixturam cochleatim & interpositis intervallis exhibere: Sic enim partitis vicibus exhibita narcotica nullam noxam inferre possunt, quippe ubi incœperit remittere dolor, leviorque somnus accesserit, minor dosis dictæ mixturæ & ex longioribus intervallis exhiberi, vel omnino ejus usus interdici potest: Hucque referri potest Aphor. 51. Sect. 2. *Omne nimium Naturæ inimicum; paulatim vero quod fit, tutum & præsertim si quis ab uno ad aliud transferit.* Si vero constitutio agri nota sit, & dolor pertinax, paulatim narcoticorum dosis adaugeri potest.

§ XVIII. In tussi sicca, vel humida cum sputo tenui, subsalfo, mire conferunt opium cæteraque narcotica, præsertim partitis vicibus & sub initio morbi, ut supra monui, exhibita: Spasmodicas enim fibrarum contractiones, quæ hanc efficiunt tussim, sedant. Præter narcotica commendant Auctores incrassantia, sed magna cum circumspectione sunt in usum vocanda, quippe ab eis tota massa sanguinea incrassatur. Fugienda inter incrassantia præsertim omnia adstringentia, valde glutinantia, & adhuc mucilaginosæ: Sed conducere possunt quæcunque particulis suis oleosis demulcent & leniter lubricant; qualia sunt Emulsiones ex seminibus, Amygdalata, Decocta caricarum, passularum majorum & minorum, jujubarum, dactylorum &c, liquiritiæ &c: Quamvis hæc lubricanti plurimum profint ratione particularum oleosarum, nequaquam tamen olea pura, butyrum similiaque pingua in usum sunt vocanda. Prætere varii syrapi pectorales, & linctus magna cum pom-

pa præscribuntur ab Auctoribus, sed fane pessimo consilio: In syrupis enim vulgari modo paratis nulla fere vis simplicium remanet præter mucaginem lentam & effœtam; hinc ex nimia syruporum, ut & oleorum purorum, ingestione tenor ventriculi solvitur, plurimo mucos primæ viæ obstipantur, nausea cibique fastidium augentur, plurimaque accersuntur mala, & præsertim exacerbatio febris & diarrhœa: Itaque syrupis officinalibus vix utendum nisi ad levem edulcorationem, aliorum remediorum, vel ad aliqua remedia sub forma boli vel electuarii redigenda; & loco dictorum syruporum ex tempore parari possunt ex pectoralibus, inter quæ præsertim commendantur flores papaveris erratici, infusa vel decocta saccharo seu liquiritia leviter edulcorata: Hac de re fane attentionem meretur locus quem ex Lindano refert Etmullerus (a):

Inter remedia quæ sputi coctionem aut suppurationem inflammationis faciunt, malim decocta pectoralia quam syropos & saccharata: Nobilissimum pectorale habemus in liquiritia & in passulis: Saccharum male pectoralibus additur; nam constat omnia dulcia & mellita facile acescere in ventriculo, cui nil inimiccius quam illud sylvestre acidum: Præscribantur autem radices & herbe pectorales, sed omittantur semper ista dulcia; nec credatis gaudere pectus dulcibus, gaudet equidem insipidis, & quæ non habent qualitatem excedentem, non dulcibus extreme ut saccharo. Liquiritia igitur convenit, quæ tamen in pauca quantitate sumenda, cavendo ne uratur, tunc enim prava & acris fit.

§. XIX. Ubi materia sputorum copiosior & aliquatenus crassior sit, si sit ejus naturæ & consistentiæ ut facile & prompte excernatur, ab opiatibus abstinendum, vel saltem eorum dosis minuenda, quippe expectorationem inhibent; præterea in usu pectoralium demulcentium & lubricantium persistendum: Nequaquam vero fortiora expectorantia, ut pluribus est in more, sunt exhibenda; nam a talibus expectorantibus stimulantur pulmones, unde inflammatio, dolor, tussisque exacerbantur, & æger in phthysen periculum conjicitur. Licet quandoque per solam expectorationem pleuritis sanata fuerit, errant quicumque neglectis fere cæteris remediis, in hoc solum incumbunt ut expectorationem promoveant, imo invitam quandoque Naturam ad hoc opus cogant; hancque enim methodum tædiosam esse & periculi plenam demonstravit Sydenham (b): Nequaquam itaque cogenda expectoratio; sed si præ-

(a) Etmullerus Tom. 2. Part. 1. Sect. 18. Cap. 1. Artic. 9. p. 569.

(b) Sydenham Sect. 6. Cap. 3. de Pleuritide. p. 337

præmissis iteratis venæsectionibus cæterisque remediis, per expectorationis viam satagat saburram aliquam eliminare Natura, levioribus erit adjuvanda, non vero fortioribus adigenda.

§. XX. Si materia sputorum ita crassa & glutinosa evadat, ut inde supprimantur, vel non nisi pluribus tussis conatibus expelli queant, simulque a stagnatione hujus saburræ in glandulis & bronchiis pulmonum dyspnœa augeatur; omnino ab opiatibus abstinendum, & in usum vocanda remedia leniter stimulantia & incidentia, quibus contractilitas vasorum restituatur, materiaque stagnans attenuetur: Talia sunt Radices helenii, imperatoriæ, ireos, angelicæ, zedoariæ, eringii &c; Ramusculi dulcamaræ; Herbæ hyssopi, marrubii, pulegii, erysimi, hederæ terrestris &c; Semina anisi, fœniculi, dauci &c; crocus, sperma Ceti, camphora; uno verbo omnia expectorantia quæ in asthmate pituitoso & viscido laudantur, sed multum temperatoria. Quid vero in tali casu sperandum esset ex usu Radicis pareiræ bravæ, judicent illi qui in asthmate pituitoso hujus Radicis norunt & experti sunt vires, de quibus consulantur Academiæ Regiæ Scientiarum Historia (a), & Helvetius (b). Notandum decocta & infusa ex dictis incidentibus & stimulantibus parata, calidissime esse haurienda; quantum enim in tali casu augeantur medicamentorum vires, si fervida exhibeantur, patet ex sequenti Baglivii (c) monito: *Quando in pleuritide viget indicatio dissolvendi, camphora & ex eadem parata remedia pro secreto fere hanc indicationem absolunt; præsertim si pleuritidis fuerit epidemica & maligna, vel potius ab ingenti sanguinis crassitie producta: Hac ipsa persistente indicatione, post elapsam horam ab exhibitio camphorato remedio, potest agrotus decoctum pectorale ex radicibus v. g. imperat. angelic. tussilag., foliis scabios. & tussilag. &c, hauriaturque valde calidum, ne dicam fervidum, quo particula radicum elastica & activæ ferantur pleno flumine & integris quasi viribus ad affectam pulmonum partem: Fervida hæc liquorum exhibitio est mihi in secretis pro dissolvendis pertinacibus visciditatibus in pleuritide epidemica & maligna, nec non in aliis pectoris morbis a tali causa pendentibus; vidi enim agrotos insigni strangulatione fere livescentes, brevissime liberatos per frequentes haustus decocti pectoralis nimium calide sorbillati.*

D 2

§. XXI.

(a) Histoire de l'Acad. Royale des Sciences, Année 1710. p. 73. (b) Helvetius, Traité des Maladies p. 96. & 244. (c) Baglivius Prax. Med. Lib. 1. Cap. de pleuritide p. 52.

§. XXI. Si ex dictis remediis stimulantibus & incidentibus levamen non percipiant ægri, sputaque suppressa maneant, dyspnœaque non remittat, vesicatoria cruribus vel tibiis sunt applicanda, felicem eventum spondente Baglivio (a), cujus testimonium huc referre operæ pretium est: *Observavi in pleuritide utut præcesserit vel non præcesserit sanguinis missio, quandoque circa quintum, vel septimum, vel aliis intermediis diebus apparere magnam spirandi & expectorandi difficultatem, quæ patientem in summum vitæ discrimen conjiciebat: Irritis aliis, duo vesicantia tibiis vel cruribus admota non solum expectorationem, quæ primaria crisis est morborum pectoris, fere ad stuporem statim promovebant, verum etiam & spirandi difficultatem leniebant cum mutatione morbi in melius. Majora dico. Quacunque die in pleuriticis spirandi & excreandi difficultas successerit, statim applicanda sunt duo vesicantia tibiis.... Et sancte fateor ex centenis egrotantibus vix paucissimos obiisse, qui præfata methodo tractati fuere a Doctissimo quodam Medico in celebri Xenodochio, idque potissimum observavimus anno 1694. Romæ hyemali tempore, quo pleuritides epidemicæ copiose grassabantur, ob intensissimum illius tempestatis frigus a copiosis nivibus & gelu productum: Introducto namque acri cantharidum sale in sanguinis massam & mox in pulmones, in quibus stagnatio metuebatur, incipientes coagulationes solvebat, humoresque pristina circulationi restituendo spirandi difficultatem imminuebat, & exitum sputi promovebat, cum egrotantis levamine. Adverte quod præfati pleuritici, in quibus hæc commoda observavimus, non fuerunt in principio purgati, ut faciunt Practicantes nonnulli, sed adhibitis venæsectionibus opportunis, sola brodia pectoralia & remedia alkalia leniter dissolventia in progressu curationis feliciter præscribebantur. Post adhibita in pleuritide vesicantia observavi diarrhœam, si aliqualis tunc temporis aderat, vel immutatam fuisse, vel prorsus suppressam: Nonnunquam vero post vesicantia in pleuritide copiosior succedebat urina, atque tam prius illud quam hoc posterius magno agrotantis commodo: Et hac in parte eo magis Baglivio fides habenda, quo minus in genere usui vesicantium favere videtur.*

§. XXII. Præter interna remedia reperitur apud Auctores longa enumeratio Topicorum, præsertim Emplastrorum & Unguentorum, quorum usu dolorem sedari & materiam stagnantem resolvi asserunt: Licet ex applicatione similibus pinguium & oleosorum fibræ quodammodo relaxari possint, nihilominus tantum abest ut inde materia stagnans resolvatur, quin e contra tumor adhuc resolvi potens ad suppurationem adigatur;

(a) Baglivius Dissert. de usu Vesicantium Cap. 3. §. 1. p. 80.

gatur; quod demonstrat experientia quotidiana in tumoribus inflammatoriis externis, qui propter ignorantiam quorundam Chirurgorum vel Muliercularum ex applicatione pinguium in abscessum degenerant. Hoc tamen incommodum ut præcaverent Auctores aliqui, addiderunt lini-
 mentis olea destillata, salia volatilia, camphoram similiaque spirituosa: Sed quamvis minus tunc noceant, nihilominus si hæc penetrantia nimis sint impacta crassioribus, oleosis & terrestribus particulis, vix vires suas exserere poterunt; si vero nimia addatur spirituosorum dosis, fibrarum constrictio augebitur, & in nimium motum cieuntur liquores stagnantes; hincque patet & hanc methodum infidam esse, periculi-
 que plenam. Denique licet in tumoribus inflammatoriis externis commodum aliquod adferret pinguium applicatio, sane in inflammationibus internis foret inutilis, quippe ad partem affectam vix vires talium emplastrorum vel pinguium penetrare possunt. Alii utuntur Cataplasmatibus ex emollientibus & penetrantibus confectis, quæ sane conducunt in tumoribus externis; in internis vero vix conferunt nisi ratione caloris: Præterea cum cataplasmata brevi refrigerentur, sæpiusque renovanda sint, quod fieri vix potest sine refrigeratione partis affectæ & præsertim in pleuritide ob partis læsæ situm, facillime ratione frigoris humiditatisque obstruuntur pori & inflammatio augetur. Si quis tamen in pleuritide uti voluerit topicis, applicet parti dolenti sacculos arena seu pulveribus repletos & admodum calefactos, vel lateres calidos, vel panem tostum spirituque vini irroratum &c; hæc enim calore suo transpirationem quodammodo promovent, & vasa laxant, nullam vero noxam inferunt.

§. XXIII. Si hac methodo resolvatur materia stagnans, sanatur æger: Vix tamen, præsertim in Regionibus frigidis & humidis, ita superatur morbus ut nullum remaneat incommodum: Ut plurimum enim convalescentes Pleuritici laborant ciborum fastidio, virium defectu, languore; itaque ad reliquias morbi exterminandas, & ad alia mala præcavenda, statim ac febris & dolor remiserint, purgandæ sunt primæ viæ, quo felicius postea peragi possint alimentorum digestio & chylicatio. Cum vero humores jam sint cocti & præparati, & quodammodo turgant, solidaque relaxata sint, sufficiet laxativum vel lene aliquod purgans; quod eo magis observandum quo a fortioribus catharticis febris excitari, vel si aliqua adhuc remaneat, exacerbari posset: Præterea notandum quod in genere purgantium usus sit multo securior, si liquida,

& præsertim vehiculo aquoso soluta, exhibeantur; quod tum experimentis plurimis, tum rationibus solidis demonstravit Vir Celeberrimus D. Boulduc, ut videre est pluribus in locis *Historia Academiæ Scientiarum*. Purgatis primis viis, reliquum absolvent stomachica & roborantia.

§. XXIV. Sæpe etiam post pleuritidem remanet febris intermittens, vel quotidiana, vel duplex tertiana, vel tertiana simplex; imo quandoque speciem hecticæ cum exacerbationibus plus minus manifestis refert: Hæc febres quandoque stipant diarrhœa, dyspnœa levis, tussis sicca vel cum sputis humidis, cibi fastidium, nausea &c; brevi vires amittit æger & emaciatur, unde si longius protrahatur malum, ad tabem tendere videtur. Ut ut itaque leviora remaneant febris indicia, purgatis primis viis leni purgante, vel rhubarbaro si diarrhœa adfuerit, in usum vocandus Cortex peruvianus, cui feliciter adduntur stomachica aliaque remedia pro varia symptomatum concurrentium indole: Hac enim methodo æger certo, tuto & prompte liberabitur a febre, ut & a cæteris symptomatibus quippe ut plurimum a febre pendentibus; brevique redibunt ciborum appetentia & vires. Hac data occasione Cortex peruvianus ab infamia, qua immerito notatur in certis Regionibus, vindicandus esset; sed si Sydenhamio, Mortono, imo omnibus fere tum Galliæ tum Angliæ Medicis denegetur fides, quid Tyro hanc provinciam post tam celebres Viros temere suscipiens sperare posset?

Hæc circa Pleuritidis exquisitæ curam sufficerent, nisi quid agendum sit ubi ad Gangrænam, vel ad Suppurationem tendit Inflammatio, explicandum paucis verbis superesset.

§. XXV. Si ex signis enarratis §. 18. Cap. 1. videamus gangrænam imminere, viresque adhuc constant, summa statim remedia sunt tentanda; periculum enim est in mora. Cum vero ex hisce signis pateat summum adesse pleuritidis gradum, cum violentissima peripneumonia conjunctum, [unde omnis fere sanguis in pulmonum vasis, & per consequens tum in cordis ventriculo dextro, tum in venæ cavæ trunco tam ascendente quam descendente, colligitur & quodammodo stagnat], omni ope allaborandum est ut libera fiat sanguinis circulatio. Hocque obtinetur I. tollendo copiam sanguinis, larga & ex brevibus intervallis repetita venæsectione, dummodo vires adhuc constant, pulsusque sit validus; si vero vires defecerint, pulsusque sit parvus, venæsectio mortem acceleraret. II. Post depletionem vasorum, diluendo & attenuando
massam

massam fanguineam ad coagulationem pronam, stimulo vasorum fibras eisque contractilitatem restituendo, & liquidis motum conciliando, tum potu aquoso, aperiente, particulis aromaticis & alkalino-volatile, & spirituosis imprægnato, sæpius & calidissime epoto, [confer §. 15. 16. & 20. hujus Capitis]; tum vesicatoriis largis cruribus vel tibiis applicatis [vide §. 21. hujus Capitis]. Si hisce adhibitis non remittat morbus, imo ex signis §. 19. Cap. I. traditis constet gangrænam jam adesse, omnia conclamata sunt, & brevi mors expectanda.

§. XXVI. Ubi ex signis §. 20. 21. 22. Cap. I. traditis, patet suppuraturam fore partem affectam, sequentes exoriuntur Indicationes. I. Suppuratio promovenda. II. Abcessus ruptio adjuvanda. III. Pus in cavitatem thoracis delapsum educendum; ulcusque mundificandum & consolidandum: Quæ quot & quibus modis fiant non hic examinandum, cum morbus jam mutato nomine extra argumenti mei fines positus sit. Hæc nihilominus monenda habeo: I. Si ex tumore rubore & dolore exterius sese manifestantibus, locus affectus dignosci possit, nequaquam erit expectanda abcessus perfecta maturatio, sed tumor erit aperiendus antequam pus sibi viam fecerit in cavitatem thoracis, ut optime monet Riverius (a): II. Cum sæpe pleura pulmonibus adnascatur, hincque in pleuritide quandoque præter pleuram inflammetur pars pulmonum pleuræ affectæ annexa; fit interdum vomica quæ ex parte pleuræ & ex parte pulmonem pleuræ adhærentem occupat, talisque vomica ut plurimum non in thoracis cavitate sed in pulmonibus aperitur, unde hoc ulcere depascuntur pulmones, & phthysicus obit æger. In tali casu frustra expectaretur abcessus ruptio purisque in cavitatem thoracis effusio: Itaque si post signa suppurationis perfectæ §. 21. Cap. I. enarrata, nulla appareant abcessus ruptionis purisque in cavitatem thoracis effusionis & fluctuationis signa; rationi consonum videtur, ut locus affectus aperiatur antequam pus sibi per pulmones viam fecerit, vel saltem ubi vomica in pulmonibus disrupta incipit æger sputa admordum purulenta in magna copia & cum tussi violenta rejicere: Nam cum partem pulmonis externam vomica hæc occupet, faciliior, promptior & securior fiet puris evacuatio, ulcerisque mundificatio per sectionem quam per anacatharsim; & ne methodum novam, insolitam & temerariam proponere videar, consulantur Willisius (b) & Baglivius

(a) Riverius Cent. I. Observ. 79. (b) Willisius Pharmaceut. Ration. Part. 2. Sect. I. Cap. XI. de Pulmonis Vomica. p. 231. ad finem Capitis usque.

vius (a). Notandum præterea in tali vomicæ casu, ubi facta fuerit apertura, nullo modo pulmones a pleura digito vel specillo esse divellendos, ut fieri solet in paracenthesi; quippe tunc pus efflueret in thoracis cavitatem, unde in parte inferiore rursus nova instituenda esset apertura.

Absoluta cura pleuritidis exquisitæ, agendum nunc est de pleuritide tam spuria quam symptomatrica, sed cum in magnam molem jam excrevit hæc Disputatio, quæ dicenda supersunt, quantum potero, contraham.

(a) Baglivius *Prax. Med. Lib. 2. Cap. xi. §. 9.*

C A P U T I V.

De Pleuritide notha.

§. I. **Q**uid sit *Pleuritis notha*, inter se non conveniunt Auctores: Alii statuunt eam esse pleuritidis exquisitæ leviozem gradum; alii inflammationem tegumentorum thoraci superstratorum; alii rheumatismum; alii catarrhalem affectum: Hinc patet quare circa curam hujus morbi discrepent Auctores, & quomodo facile possint conciliari. Me quod attinet, cum maxima Auctorum parte, per pleuritidem spuriam intelligo affectum catarrhalem ab aquosa colluvie ortum.

§. II. Est itaque dolor plus, minus acutus & punctorius, quandoque mobilis, vagus, recurrens, quandoque fixus, in parte aliqua thoracis externa; ab inspiratione valida, a pressione externa, & certis thoracis motibus auctus: Nulla dyspnœa vel potius nullus sensus suffocatorius adest, nec tussis: Licet febris non sit de essentia hujus morbi, sæpe tamen adest plus minus fortis; imo ut plurimum hunc morbum concomitatur febricula circa vesperam ingravescens, quæ vix frigore, sed calore magis est manifesta. Hinc quomodo distinguatur a pleuritide exquisita, facile patet.

§. III. Dico pleuritidem notham nullo sensu suffocatorio, nullaque tussi insigniri: Fieri tamen potest, & sæpe fit, quod peripneumonia notha, de qua videri potest Sydenham (b), vel alius quicumque pulmonum catarrhus concurrat cum pleuritide spuria, tuncque adsunt dyspnœa & tussis: Nihilominus facile tum ex ipsa indole dyspnœæ & tussis, tum

ex

(b) Sydenham *Seet. 6. Cap. 6. de Peripneumonia notha.*

ex diverſitate cæterorum ſymptomatum diſtinguuntur a pleuritide vel a peripneumonia exquiſita.

§. IV. Hic affectus præſertim aggreditur ſcorbuticos, cachecticos, pituiſoſo & ſeroſo temperamento donatos. Cauſæ remotæ ſunt aer calore ſed præſertim frigore excedens, ejusque ſubitæ mutationes ab uno extremo ad aliud; frigus quomodocunque ſuſceptum; tranſpiration inſenſibilis impedita; cæterarumque evacuationum ſolitarum, menſium, alvi &c, ſuppreſſio; plethora; humorum varia acrimonia.

§. V. Pleuritis ſpuria ſedem habet in glandulis quibuſcunque tegumentorum thoracis tam communium quam propriorum. Hujus morbi cauſam proximam, ut & cæterorum catarrhorum, vulgo ſtatuunt Auctores eſſe deſluxum & extravasationem præternaturalem & ſubitanæ humoris ſeroſi, cujus acredine vellicantur partes in quas fit deſluxus. Verosimilius tamen adſcribitur hic morbus ſtagnationi humoris ſeroſi; & quemadmodum in inflammatione diximus globulos ſanguineos ſtagnare, ſic in catarrhis & in ſpecie in pleuritide ſpuria ſtagnat pars aliqua lymphæ craſſior in glandularum lymphaticarum vaſculis minutiffimis, vel folliculis, vel ductibus excretoriis: Hinc dolor diſtenſioni fibrillarum, non autem acredini humorum erit adſcribendus; vix enim concipi poteſt quomodo temporis momento humores intra vaſa ita reſumi poſſint, ut dolor tam ſubito evaneſcat. Non nego tamen quin varia humorum acrimonia poſſit eſſe cauſa catarrhorum remota, quatenus vellendo fibras ſtagnationi humorum occaſionem præbet; fateorque præterea in catarrhis quandoque extravasari humores ſeroſos, ſed hæc extravasatio potius eſt effectus quam cauſa morbi.

§. VI. Pleuritis ſpuria per ſe periculi eſt experta, ſed facillime in plethoricis, fervido temperamento donatis, accerſit pleuritidem exquiſitam: Præterea facillime ex leviffimo errore redit: Si cum pleuritide ſpuria concurrat peripneumonia notha, majus erit periculum, & facillime in peripneumoniam veram degenerat.

§. VII. Pleuritis ſpuria ex ſua eſſentia non indicat venæſectionem: Sæpiſſime tamen conducit ratione circumſtantiarum: Sic in plethoricis, in fervido temperamento donatis, ſuppreſſis ſolitis evacuationibus per menſes, hæmorrhoides, inſenſibilem tranſpirationem; ſi adſit febris aliqujus notæ, dolor ita vehemens, ſanguinis fervor ita ingens, ut metus ſit ne ſubſequatur pleuritis vera; ſi conjuncta fuerit pleuritis ſpuria cum peripneumonia notha &c, venæſectio erit inſtituenda: Ad quantam

vero quantitatem sanguis in hisce casibus sit evacuandus, & quoties iteranda sit venæsectio, indicabunt temperamentum & vires ægri, pertinacia & gradus tum morbi tum symptomatum ad quorum sublationem instituitur venæsectio. Post venæsectionem statim, si alvus suppressa fuerit, injiciatur clyster.

§. VIII. Præmissa vel prætermissa, pro variis circumstantiis, venæsectione, lymphæ erit attenuanda & incidenda; in quem finem prosunt diaphoretica, cephalica, aromatica, balsamica, temperata, vel levi dosi exhibita, [vide §. 16. Cap. 3.]; hæcque non tantum attenuant lympham & obstructions referant, sed simul acrimoniam, si adsit, temperant & obtundunt, tonumque solidorum debilitatum restitunt. Hisce ratione doloris optime adduntur leviora narcotica [confer §. 17. Cap. 3.]

§. IX. Copiosa autem ita existente colluvie serosa aut cacochymia tanta, ut alterantibus subigi nequeat, ejus excretio per loca convenientia est tentanda: Hunc in finem conducunt purgantia hydragoga leniora, quorum usu tum cruditates primarum viarum, tum abundantia feræ massæ sanguinea educuntur & evacuantur: Si quid timeamus ab eorum usu, paregoricum sub vesperam erit exhibendum. Evacuata ex parte colluvie serosa, reliqua pars attenuanda & incidenda; posteaque cum ad habitum vergat materia peccans, per sudores lenes evacuanda: Attamen in sudoriferorum usu, cavendum semper ne nimium fervorem sanguini conciliando, oriatur febris & inflammatio exquisita.

§. X. Inter topica commendantur omnia actu calida, penetrantia, carminantia vulgo dicta, abstinendo a pinguibus & iis omnibus quæ transpirationem impedire possunt.

C A P U T V.

De pleuritide symptomatica.

Pleuritides symptomaticæ vel a Febribus intermittentibus seu remittentibus dependent, vel ab Arthritide, vel a Vermibus, vel a Constitutione epidemica; de quibus variis speciebus seorsim paucis verbis jam sum acturus.

Pleuritis symptomatica a febre intermittente seu remittente dependens.

§. I. Pleuritis quandoque symptoma existit febrium intermittentium vel remittentium; quatenus a rigore & horrore harum febrium subito crispantur & constringuntur pleuræ vasa & fibræ, unde stagnant globuli sanguinei in minimis pleuræ vasculis impacti; vel quatenus propter nimium sanguinis fervorem & impetum a causa interna, vel ab externa ut cardiacis, sudoriferis, excitatum, adiguntur in vasa capillaria globuli sanguinei, qui vel propter propriam & nimiam crassitiem, vel propter vasorum constrictionem hærent & stagnant. Hocque peculiare sibi vindicat hujus pleuritidis symptomaticæ species, quod licet sponte vel arte superetur, cum febris subsecuturo paroxysmo vel cum insequenti exacerbatione certo recrudescat.

§. II. Dignoscitur hæc pleuritidis symptomaticæ species ex stasis paroxysmorum periodis, ex periodica symptomatum tum febrilium tum pleuriticorum remissione & exacerbatione, ex urina plurimum tincta, crassa, contentis saturata, & sedimentum rubrum, lateritium deponente: Et attentionem meretur quod animadvertit Morton (a), nempe *pulsus doloris & strangulationis vehementia fere obrui, atque extrema algere ac si ager illico expiraturus foret.*

§. III. In cura i. respiciendum ad symptomata pleuritica, ad quæ tollenda vel imminuenda requiritur eadem methodus quæ in pleuritide essentiali convenit: Monetque Morton (supra notato loco), quod licet pulsus languor & extremorum alior contra-indicare videantur, venæsectionem tamen copiosam, sine mora celebratam, & repetitam, opii-que ingestionem liberalem hæc symptomata pleuritica requirant; quodque hac methodo dolor lateralis, dyspnœa & tussis sine medicaminum pectoralium ope [quæ in hoc casu nihil valere asserit] sponte cessent, pulsusque robur naturale atque calor extremorum redeant. Notandum tamen in genere quod utplurimum in hac pleuritidis symptomaticæ specie toties repetita venæsectio non requiratur ac in idiopathica. ii. Statim ac sponte vel arte remiserint symptomata pleuritica, omnibus viribus allaborandum ut morbi causa nempe febris intermittens vel remittens tollatur, ne recrudescat pleuritis: Hocque secure & cito fieri nequit nisi ope Corticis peruviani. Plurima adhuc circa hanc pleuritidis

E 2

sympto-

(a) Morton Exercit. 1. de Febr. Interm. Cap. 6. pag. 59.

symptomaticæ speciem occurrerent dicenda, sed brevitati consulens Lectorem ad Mortoni Tractatum de febribus & de febris intermittentis continentisque proteiformi genio, ablego; ubi videre est longam observationum seriem, quas genuinas esse & veritati consonas demonstrat experientia quotidiana.

Pleuritis Arthritica.

§. IV. Vitio Naturæ vel errore ab ægro admissio, materia arthritica quandoque impeditur ex toto vel ex parte ad loca convenientia, nempe ad pedes seu manus, defluere; vel jam ad artus defixa, retropellitur: Hinc turgens materia arthritica in varias corporis partes ruit & deponitur, omniumque morborum speciem induit prout varia afficitur corporis pars, & quidem interdum sub larva pleuritidis ludit.

§. V. Hos autem affectus symptomaticos a miasmate arthritico ortos dignoscere, & a morbis idiopathicis quorum speciem induunt distinguere, sane difficillimum in ægris qui nunquam antea arthritide laborarunt: In illis vero qui arthritidi plus minus obnoxii sunt, dignoscere possumus hosce morbos arthriticos ex defectu paroxysmi arthritidis regularis ad manus vel pedes, ex paroxysmo non satis acerbo, vel denique ex paroxysmo subito sua sponte seu propter errorem ægri evanescente.

§. VI. Quoad curam pleuritidis arthriticæ, præmittendæ largæ & iteratæ venæsectiones, postea enemata injicienda, & purgantia lenia sunt exhibenda: Hisce enim fervor sanguinis sedatur, ejusque & materiæ arthriticæ copia imminuitur, & subsecuturis remediis via sternitur. Hoc facto, tentanda est expulsio materiæ morbificæ ad loca convenientia nempe ad pedes vel manus; quod obtinetur, exhibendo cum cautione cardiaca, corroborantia, & sudorifera temperata, simulque applicando locis dolere assuetis fomenta actu calida, aromatica, attrahentia vulgo dicta, imo tandem vesicatoria larga & ampla.

§. VII. Qui plura desiderat circa historiam, diagnosim & curam horum affectuum symptomaticorum ab arthritide dependentium, adeat Tractatum elegantem Viri Experientissimi D. Musgrave *de Arthritide anomala*; & in specie circa pleuritidem arthriticam, consulat dicti Tractatus Caput undecimum, quod conferendum cum pagina 509. Tractatus Sydenhamii *de Podagra*.

Pleuritis verminosa.

§. VIII. Plures Auctores mentionem faciunt pleuritidis a vermibus excitatæ: Fuit alias, ait Quercetanus (a), in observationibus nostris animadversum, pleuritidis quandam speciem esse, quæ in omnibus veram & legitimam, non autem spuriam emuletur: Orta ea est a malignis & acerbis vaporibus, ab inferioribus partibus sursum in pectoris regionem delatis, ex quorum virulentia & acrimonia, tunice pleuræ dictæ inflammatio nec non venarum erosio excitatur, unde sanguinis expuitio, spirandi difficultas, febris & alia symptomata, quæ veram pleuritim comitari solent, consequuntur: Ubi purgatio cum hujuscemodi præsiidiis instituta, sanguinis detractioni & eccoproctici exhibitioni longe lateque præferenda erit. Sed hujus rei veritatem cognoscent ii, qui Ferrariæ in Xenodochio aliquandiu degerunt, ubi infinita pleuritidorum cadavera quotidie diffecantur, in quibus viscera interiora, stomachus videlicet & intestina, lumbricis & vermibus tota infarcta reperiuntur. Hujusmodi pleuritides, quæ ab iisdem quibus pestilentes ortus sui causam ducunt, auxilium tale deprecant, quod facultatem habeat vermes expellendi & corruptionum incommoda tollendi, qualis est virtus & proprietas Mercurii, rerumque mercurialium, sicut id omnibus satis constat. Exemplum Pleuritidis verminosæ suppeditant Riverius (b), alique observationum scriptores; sed ut cæteros Auctores transeam, casum egregium refert Vir Experientissimus D. Andry (c): Æger enim pleuritide exquisita laborans, circa quintum morbi diem, licet præmissæ fuerant venæsectiones, delirio sine ulla causa manifesta & sine ullo signo præcedente subito correptus fuit: Hinc suspicatus est D. Andry vermes subesse, & cum in fœcibus aliqua vermium indicia animadverteret, remedium anthelminticum & purgans sexto morbi die ægro exhibuit: Paulo post æger vermem *solum* dictum & septem circiter ulnas batavicas longum exclusit, unde eodem die melius habuit, septimo vero febris expers fuit, octavo denique perfecte sanus evasit: Cum tamen hujus vermis pars in corpore remansisset, secundo post die dictum remedium iteratum fuit, unde reliqua vermis parte exclusa, æger non tantum pristinam valetudinem recuperavit, sed nullum postea epilepsiæ, cui obnoxius fuerat, paroxysmum passus est.

E 3

§. IX. Fa-

(a) Quercetanus Pharmacop. Dogm. rest. Lib. 1. Cap. 7. pag. 43.

(b) Riverius Cent. 1. Observ. 75. (c) Andry, de la generation des Vers, dans la Préface.

§. IX. Facile concipi potest quomodo plures morbos & in specie pleuritidem excitare valeant vermes; nemo enim negabit ab intestinorum vermibus febres omnis generis oriri posse, & notum est febribus facillime vel propter constrictionem fibrarum in rigore, vel propter impetum & fervorem sanguinis, vel propter constitutionem ægri peculiarrem, vel propter errorem, supervenire posse pleuritidem. Sed dolendum sane quod omnia, quæ dantur vermium indicia, ita sint vaga, incerta, aliisque morbis ita communia, ut nullius forsan morbi in tota Medicina diagnosi sit difficilior: Præterea licet indicia vermium darentur certa, nulla habemus signa, quibus dignoscere possumus, an hic vel ille morbus (ex. gr. pleuritis) cum vermibus concurrens dependeat a vermibus vel a sola causa morbi propria & idiopathica: Imo vix in suspicionem vermium devenimus nisi ubi sponte excluduntur, vel ubi frustra multa fuerunt remedia tentata & usurpata; sic enim ipse D. Andry in supra laudato casu non suspicatus fuit vermes latere, nisi postquam curam pleuritidi idiopathicæ debitam frustra instituisset. In re itaque tam ardua omnia signa vermibus intestinorum communia, & unicuique speciei propria acri judicio perpendenda sunt: In hisce tamen signis enarrandis non immorabor, ne multus sim, & fines argumenti mei transgrediar.

§. X. Cura pleuritidis verminosæ duplex est, vel respectu symptomatis, vel respectu causæ. Respectu symptomatis statim adhibenda eadem methodus, quam in pleuritide idiopathica convenire diximus: Monet tamen Celeberr. Vir D. Andry (a) iteratas venæsectiones non ita conferre, imo nocere in pleuritide verminosa. Respectu causæ, ubi suspicio adest vermium, & præmissis debitis venæsectionibus nihil profecimus, duplex oritur indicatio: Prima est vermium enecatio; secunda eorum vel vivorum vel mortuorum educio: Quibus autem remediis vermes enecentur, abunde tradidit in supra laudato Tractatu Eruditissimus D. Andry, qui circa diagnosim & curam vermium cæteris Auctoribus palmam præripuit, & rem propriis observationibus multum illustravit: Notandum tamen inter remedia anthelmintica, ea semper eligenda esse quæ nullum vel minimum impetum sanguini conciliant, qualia sunt corallina, Radix mori, filicis, valerianæ sylvestris &c. Quoad educationem vermium vivorum vel mortuorum, cum fiat per purgantia, quorum usus noxius est & periculi plenus in initio & in statu inflam-

matio-

(a) *Andry, Chap. 9. Artic. 2. p. 167.*

mationum, fane magna circumſpectione opus eſt : Itaque ſi leviffima tantum ſint vermium indicia, ſolis remediis vermes enecantibus utendum, a purgantibus vero abſtinendum eſſe cenſeo : Ubi vero majora adſunt vermium indicia, cruditatumque in primis viis ſigna manifeſta, felicius & tutius purgantia vel ſola, vel anthelminticis mixta exhibentur : Ea tamen ſemper eligenda purgantia, quæ minus ſtimulant, minoremque fervorem & impetum liquidis conciliant.

Pleuritis epidemica.

§. XI. Morbi epidemici dicuntur illi qui ſimul eodemque tempore plures homines adoriuntur, & contagio quaſi communicantur.

§. XII. Hi morbi licet plurimis ſignis & ſymptomatibus conveniant cum morbis idiopathicis, quorum ſub nomine ludunt, & incautos eatenus decipiant ; nihilominus ab idiopathicis eventu, ſanandi methodo, imo quandoque phænomenis aliquibus ſubobſcuris vel prorsus diſſimilibus differunt.

§. XIII. Non tantum ab idiopathicis differunt morbi epidemici, ſed inter ſeſe multum diſcrepant : Obſervatum enim eſt eadem remedia, quæ in morbo epidemico feliciter hoc vel illo anno uſurpata fuerant, ſequenti vel alio anno in morbo, qui prorsus videbatur ſimilis, nocuiſſe. Præterea in quibuſdam annis quandoque morbi epidemici in omnibus, qui eis corripiuntur, non tantum ſimilibus ſymptomatibus & quidem eodem ordine ſeſe mutuo excipientibus inſigniuntur, ſed & ſimili modo eademque adhibita methodo terminantur : Dantur e contra quandoque morbi epidemici, qui licet in eodem anno & eadem tempeſtate anni ſæviant, in variis tamen ægris diverſa facie diſſimilibuſque plane ſymptomatibus gaudent, diverſo eventu terminantur, & diſſimilem curandi methodum interdum deſiderant. Alii denique morbi epidemici ſunt benigni, alii maximam hominum, quos adoriuntur, tollunt partem.

§. XIV. Ex dictis pluſquam ſatis patet, quam difficilis, incerta & varia ſit morborum epidemicorum tum diagnoſis tum curandi methodus : Inde præterea liquet errare illos, qui in omnibus morbis epidemicis eandem curandi methodum laudant, & æque decipi quicumque in omnibus morbis epidemicis vel venæſectionis, vel vomitoriorum, vel purgantium, vel cardiacorum alkalium ſeu acidorum &c uſum prædicant vel vituperant : Hacque data occasione animadverto Sydenhamium, qui

qui primus morborum epidemicorum genium & indolem affecutus est, nunquam majorem forsan meruisse laudem quam ubi aperte & ingenue fatetur se novo gliscente malo ancipitem habuisse qua via ipsi insistendum ut agris subveniret, ac proinde nisi ingenti adhibita cautela intensisque omnibus animi nervis vix ac ne vix quidem potuisse efficere ne unus aut alter eorum, qui se primi ipsius curæ committerent, vita periclitaretur, donec investigato jugiter tandemque perspecto morbi genio, ad eundem perdomandum recto pede & intrepidus denuo procederet (a).

§. XV. Ne itaque opus supra vires suscepisse videar, plura quæ mihi forent tum circa morborum epidemicorum in genere & pleuritidis epidemicæ in specie diagnosim & curam, tum circa varios errores præfertim ex ficta malignitate oriundos dicenda, silentio diffimulabo: Altumque silentium in re tam ardua eo magis me decere puto, quo vix aliquis post Sydenhamium viam hanc, licet ab eo plurimum explanatam, ingredi ausus fuerit.

(a) Sydenham, Sect. 1. Cap. 2. de Morbis Epidemicis p. 44.

F I N I S.